

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm VII Pavlli
Manvtii Commentarivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS

A D
T · POMPONIVM · ATTICVM

LIBRVM · VII.

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.

DEDERAM equidem L. Saureio litteras, & dederam ad te unum; quod, cum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te venire nolebam. sed, ut philosophi ambulanti, has tibi redditum iri putabam prius. sin iam illas accepisti, scis me Athenas uenisse pridie id Ost. le nauis egressum in Piraeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse; conturbatum, quod cum febre Romam uenisset; bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae uellem, de alienato corpore tuo nunciaret; cohorruisse autem, quod tuae litterae de legionibus Caesaris afferrent; & egisse tecum, ut uideres, ne quid otiosa eius, quem nosti, nobis noceret; & de quo iam pridem ad te scripserum. Turranius autem secus tibi Brundisij dixerat: quod ex ijs litteris cognoui, quas a Xenone, optimo uiro, accepi. Cur fratrem prouinciae non praefecissem, ex posui breuiter. Haec fere sunt in illa epistola nunc audi reliqua. Per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudicio singularem, conferto ad eam curam, ut de omni statu meo cogites. uidere enim mihi uideor tantam dimittationem, nisi idem deus, qui nos melius, quam opta-

re aueremus, Parthico bello liberauit, respexerit remp. sed tantam, quantumquam fuit. age, hoc malum mihi commune est cum omnibus: nihil tibi mando, ut de eo cogites: illud meum proprium quaeso, suscipe. uides ne, ut te auctore sim utrumque complexus: ac uellem a principio te audisse amicissime mouentem:

Αλλ' ἐμὸν οὐ ποτε θυμὸν ἐν τῇ Σαρδίᾳ ἐπεισες:
Ὡς οὐδ' ἐν γὰρ κλειῶν ἦς παρτίδος:

sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum completerer, quia de me erat optime meritus: alterum, quia tantum ualebat. feci igitur, atque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me carior: haec enim cogitabamus; nec mihi, iuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in rep. aliquando, nec, cum Pompeio sentienti, pugnandum esse cum Caesare: tanta erat illorum coniunctio. nunc impendet, ut & tu ostendis, & ego uideo, summa inter eos contentio: me autem uterque numerat suum. nisi forte simulat alter. nam Pompeius non dubitat (uere enim iudicat) ea, quae de rep. nunc sentiat, mihi ualde probari. utriusque autem accepi cuiusmodi litteras eodem tempore, quo tuas, ut neuter quaequam omnium pluris facere quam me, uideretur. uerum quid agam? non quaero illa ultima, (si. n. castris res geretur, uideo cum altero uinci satius esse, quam cum altero uincere) sed illa, quae tum agerentur, cum nenero; ne ratio assentis habeatur, ut exercitum dimittat.



Caesar mihi cum suis obijerit, quasi eas uel oblitus sum, uel contempserim. *VT illi hoc liceret* & ut possit absens consulatum petere. *AB ipso* & Caesare. *RAVENNAE* & quo Caesar quo annis ad conuentus agendos uenire solitus erat. *DE Coelio* & ut M. Coelium, amicissimum meum, tribunum pl. inducerem ad legem ferendam de habenda Caesaris absentis ratione. quod factum est. laetum enim a decem tribunis pl. id est ab uniuerso collegio, consule tertium Pompeio: quot anno tribunus pl. fuit M. Coelius, ut ex Pediano cognoscitur in argumento Milonianae. *ACNAEO nostro* & uide infra ep. 3. lib. 8. & fam. lib. 6. ep. 6. *ILLO diuino* & hoc uidetur dictum esse ad gloriam Pompeij, quia consul sine collega ex S. C. creatus fuerat, quo liberius posset perturbatam ciuilibus discordijs remp. constituere: sed cum ironia dictum: quippe, cum ipse consul pugnauerit, ut de habenda Caesaris absentis ratione lex ferretur, quod contra morem maiorum, contraq. remp. fuit. ep. 3. l. 8. *ALITER* & contra Pompeiū. *Adeo uae* & uide supra, ep. 5. lib. 2. *HANC ego plagam* & quam mihi nunc uideo esse accipiendam, quia necesse est, ut in dicenda sententia aut Pompeium offendam, aut Caesarem. *EFFUGI* & quoniam abfui. *MARCELLORVM* & quia profectus est ante in prouinciam, quam M. Marcellus referret de successione Galliarum, & anno proximo, consule C. Marcello, de prouincia decedens, tamen ad urbem non peruenit, tribus mensibus in itinere consumptis. & dicit, *Effugi*, quia, licet C. Marcellus consulatum nondum peregisset, tamen, quod erat eius anni reliquum, uidebar tibi esse in itinere ponendum. *VT stultus* & primum in senatu sententiam rogari, honorificum uidebatur. nunc, inquit, ea me non tenet ambitio. quin ideo triumphum petam, ut extra urbem maneam cum iustissima causa, dum de prouinciarum successione conficiatur. dicat igitur uel stultus suam sententiam in senatu primum, non laboro. *NIHIL miserius* & prouincia. *OMNIA illa prima*, & quae primis litteris ad te scripti de comitum meorum continentia. *VT ego amicos inueniret* & quasi deberem aerarij nostri emolumentum negligere, qui Cilicum & Phrygum aerarijs consulueram, nullum ab ijs sumptum neque in me, neque in meos fieri passus, ep. 2. lib. 6. *Εξελθὼν δόγῳ* & orationis egressio: quia, cum agere cum Attico de suo statu coepisset, interposuit de prouincia. redit igitur, unde diuerterat. *EX supplicatione*, & mihi decretata: quae solet esse triumphii praerogatiua. fere enim triumphus eam consequitur. *PLVS decreuit* & quia, cum mihi supplicationem non decerneret, tamen in sententia sua summis me laudibus ornauit, cum diceret, innocentia potius, & mansuetudine mea, quam ui militum, aut benignitate deorum, prouinciam esse seruata. is autem fuit M. Cato, ut fam. ep. 5. l. 15. *IRATVS Hirrus* & ut a me in auguratus petitione superatus, uide fam. l. 8. ep. 3. & 9. *SCRIBENDO* & S. C. quod ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, fieri solet. fam. ep. 6. lib. 15. *DE sententia Catonis* & supplicationem non decernentis. epist. 2. *QVID ille sententiae dixerit*, & iniuriam Catonis in supplicatione non decernenda Caesar commemorat, laudes, quas mihi idem Cato sua sententia tribuit, dissimulat. Disiungere uidelicet a Catonis amicitia Ciceronem cupiebat Caesar. *POTUISSE impedire*, & si, cum de hostibus ageretur, numerum postularet. fam. lib. 8. ep. XI. *MIRVS est &c.* & placeret, Merus: & germanus Lartidius, explano; quod Lartidij, famosi furis, per similes esset. intelligit enim Philotimum: quē & supra non optima fide bona Milonis administrasse ostēdit, ep. 9. l. 6. *Hoc primum* & quod proxime sequitur de Praetiana hereditate. *ACCESSIT eura dolori* & ad dolorem ex amici morte susceptū accessit cura expediendae hereditatis. ep. 9. l. 6. *QVID est* & etiam si non ita magna sit hereditas, ut de ea ualde laborandū uideatur ep. 8. l. 6. *ILLE* & Philotimus. nam & supra, Prorsus ille ne attingat, cum de hac ipsa hereditate, & de Philotimo loquatur. *Αμεπτα* & si ad te pecunia in triumphii apparatus redigeretur, non erit quod factum mecum Philotimus accuset, tamquam ei non confidentis, cum te, non quemuis, illi praeferam, in pecunia triumphali, non domestica: *αμεπτα*: causam accusandi nullam. *VT lubebit* & tibi, faciam de Philotimo, quod suadebis: tuum conuiuium sequar. refertur enim ad illud, Disiungere me ab illo uolo. In Bessarionis libro, Videbit, pro, Lubebit; quod fortasse, Videbitur, esse debuit. *EXPERTA MVR.* & de triumpho. nisi enim caute, considerateq. experimur, fortasse tribunorum pl. intercessionem eliciemus. hoc tu cogites uelim, tecum simul ego cogitabo, ut ad euitandam intercessionem aliquid excogitemus.

Cicero S. D. Attico. 2.

BRUNDISIUM uenimus VII. Kal. Dec. ut si tua festate nauigandi ita belle nobis flauit ab Epiro leuissimus Auster mitis, hunc *αὐτὸς ἄλζορτα*, si cui uoles *ἡ σωτέρον*, pro tuo uendito, inualetudo tua me ualde conturbat. significant enim tuae litterae, te prorsus laborare. ego autem, cum sciam, quam sis fortis, uehementius esse quiddam suspicor, quod te cogat cedere, & propemodum infringat. etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse, & alteram leuiorem accedere. Terentia uero, quae qui-

dem eodem tempore ad portam Brundisiam uenit, quo ego in portum, mihiq. obuiam in foro fuit, L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse. quod si ita est, quod maxime hercule opto; id uero tua prudentia, & temperantia te consecutum. Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam aliam uiciniorem, quae quidem erant tua manu. nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae: manū non amabam, quia indicabat te non ualere. cuius quo-

X 2

niam

niam mentio iam facta est, Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti, (& adde, si quiduis) probum : nihil uidi melius : itaque careo aegre, quam quam uidebatur se non grauius habere : tamen sum sollicitus ; maximamq. spem habeo in M. Cury diligentia, de qua ad me scripsit Tiro, & multi nunciant. Curius autem ipse sensit, quem tu uelles a me diligi ; & eo sum admodum delectatus : & mehercule est, quam facile diligas. *αὐτὸς ὅμως* in homine urbanitas. eius testamentum de tortorio, Ciceronum signis obsignatum, cohortisq. praetoriae, fecit palam te ex libella, me ex teruncia. Corcyrae Alexion me opipare muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim uideret. Filiola tua te delectari laetor, & probari tibi *τοῦτον ποσειδῶν* esse, *τὸν ὀφεία τὰ τρέχοντα*. etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio : qua sublata, uitae societas tollitur. Bene eueniat, inquit Carneades, spurce, sed tamen prudentius, quam Lucius nosster, & Patron : qui cum omnia ad se referant, nec quidquam alterius causa fieri putent ; & cum ea re bonum uirum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit ; non intelligunt se de callido homine loqui, non de bono uiro, sed haec opinor sunt in his libris, quos tu laudando, animos mihi addidisti. Redeo ad rem. Quo modo exspectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses scripseras enim, in ea esse de sermone Pompey, Neapolitano. eam mihi Patro Erundisij reddidit : Corcyrae, ut opinor, acceperat. nihil potuit esse iucundius. erat enim de rep. de opinione, quam is uir haberet integritatis meae ; de beneuolentia, quam ostendit eo sermone, quam habuit de triumpho. sed tamen hoc iucundissimum, quod intellexi, te ad eum uenisse, ut eius animum erga me perspiceres. hoc mihi inquam accidit iucundissimum. De triumpho autem,

nulla me cupiditas inquam tenuit, aut Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissime supplicatio consecuta est, a quo si ea gesta sunt, quae scripsisti ; gauderem, & honori fauerem : nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri ; me, in cuius exercitu spes illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum, nostrum, inquam, te coniungens. itaque omnia experiar, & ut spero, assequar, quod si tu uoles, iam mihi quaedam explorata essent : sed, ut spero, ualebis. De raudusculo Numeriano multum te amo. Hortensius quid egerit, aucto scire, Cato quid agat : qui quidem in me turpiter fuit maleuolus : dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam ; quod postulabam, negauit. itaque Caesar his litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratiissimi, iniuriat : at hic idem Bibulo dierum xx. ignosce mihi, non possum haec ferre, nec feram. Cupio ad omnes tuas epistolas, sed nihil necesse est : iam enim te uidebo, illud tamen de Chrysippo, nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine : sed tamen ne illo quidem quidquam improbius. Chrysippum uero, quem ego, propter litterularum nescio quid, libenter uidi, in honore habui, discedere a puero, inficiente me ? mitto alia, quae audio, multa : mitto furta : fugam non fero, qua mihi nihil uisum est sceleratius. itaque usurpauit uetus illud Drusi, ut serunt, praetoris in eo, qui eadem liber non iuraret : me istos liberos non addidisse, praesertim cum adesset nemo, a quo recte uindicarentur, id tu, ut uidebitur, ita accipies : ego tibi assentiar. Vni tuae disertissimae epistolae non rescripsi, in qua est de periculis reip. quid rescriberem ? ualde eram perturbatus : sed, ut nihil magno opere metuan, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semiuivum reliquerunt. Vale.

EXPLANATIO

AVSTER mitis duabus causis adducor, ut suspicer de mendo, primum, quia, Mitis, non necessaria dictio, cum idem significet, quod Lenissimus, atque etiam multo minus: deinde, quia ueteribus in libris scriptum uideo, Anches mitis, quod ipsum non intelligo: sed assentior doctissimo uiro, Latino Latinio, Viterbiensi, qui, mutatione unius litterae, locum corrigit, Onchesmitis, uel *ὄνχις*, legens: ut sit nomen uenti, ab Onchesmo, Epiri portu, quem nominat Ptolemaeus. **MANVM non amabam** abundare puto, Manum, & esse non necessarium glossema: ut legatur, Ad similitudinem tuae litterae, quod enim solet esse in repetendo uerbo uenustatis, id sentitur in uerbo, Amabam: si Manum iteres, non item. alijs aliter fortasse uidebitur: ego de meo sensu iudico. **TIRONEM** qui mihi in memoriam redigitur mentione Alexidis: quoniam uterque similem nobis operam praebet. Alibi: Quod meus Alexis facit, erat enim uterq. a studijs, & epistolis. **DILIGI** ipsum. **EO** eius consuetudine. **DE Tortorio** consentiunt cum impressis ueteres libri: ex ingenio autem possum equidem afferre, quae uerisimilia uideantur: sed in obscurissima re diuinantes cur inania captemus? Veri autem simile hoc sit, Deporto Ro. id est, deporto Romam, id confirmat, quod infra scriptum est ep. 3. **A Curio tabulas accepi**, quas mecum porto. **CICERONVM** puerorum. Sicl. 5, ep. 18. Cicerones nostri sunt apud Deiorarum. **COHORTIS praetoriae** Cohors praetoria est, quae tum in castris, tum in agmine, atque acie semper adest praetori, erant autem duae, una euocatorum militum, altera nobilium adolescentum, qui sua sponte cum proconsulibus exhibant, dumtaxat ob hanc causam, ut usurarum peritiores domum redirent. **FECIT palam** fecit heredem praesente cohorte praetoria uniuersa: cum alij non palam, sed paucis adhibitis, testamentum facere solerent. **TE ex libella** omnium bonorum heredem, nam libella & as idem sunt: nisi quod libella nummus argenteus, as aereus. affis autem nomine significatur omnis hereditas. **ME ex teruncia** Teruncia quarta pars est librae: ergo, & quarta pars bonorum.

Scriptum

Scriptum erat in testamento, ut Atticus, heres ex libra, quartam deinde partem Ciceroni attribueret. & Libella dixit, familiariter iocatus de Attici emolumento. **THYAMIM** § fluvium, qui, ut, inquit Thy cydides l. 1. Thesprotidem, Cestrinamq. discriminat. & Atticum in Thesprotia habuisse possessiones, dixit ep. 3. l. 6. Puer autem Q. Cicero significatur. De Thyami, & Plinius l. 4. c. 1. **FILIOLA tua** § Attica, quae postea M. Agrippae uxor fuit. **PROBARI tibi** § contra sententiam Epicuri tui: qui cum diceret, alterius causa fieri nihil oportere, ad se ipsum omnia esse referenda, tollebat **εὐφροσύνην** & si amor erga filios naturalis non est, quid erit, in quo hominem homini natura conciliet? **BENE eueniat**, inquit Carneades, § uidentium est, quo modo haec ad superiora referantur. Non placet, probare Carneadem id, quod proxime dictum est, Vitae societas tollitur: ut, Bene eueniat, uerba sint assentientis, & cupientis ita esse. nā, si Carneades illam sententiam laudasset, quae uitae societatem tollebat, germanissimus fuisset Epicureus. uitae enim societatem tollebat Epicurus, cum ad seipsum omnia referret, nihil alterius causa faciendū putaret. Carneades autem, cum diceret, Bene eueniat, in eo Epicureus erat, in reliquis Academicus. propterea subiunxit Cicero: Sed tamen prudentius, quam Lucius noster, & Patron. in quo significauit, dissentire Carneadem ab Epicureis, ad utilitatem suam omnia referentibus, nihil omnino de honestate, uel de aliena utilitate laborantibus; quamquam cum ijs in optanda felicitate sentiret; itaq. dicebat, Bene eueniat: pro, nihil aduersi contingat, quod spurce dictum ait Cicero: quia fuit eadem Epicureorum sententia, qui, summum in dolore malum, summum in uoluptate bonum collocantes, ex animi sententia euenire omnia cupiebant. Sed in eo prudentior Carneades: quod illi ita bene euenire cupiebant, ut bonitatem per se nihil aestimandam, utilitatis tantum gratia colendam dicerent: ipse uero, cum, Bene eueniat, diceret, ita secunda omnia expetebat, ut bonitatis habendam esse rationem duceret, nec de se tantum, sed de alijs quoque, laboraret, conseruabat igitur uitae societatem, quam tollebat Epicurus. ep. 12. l. 7. fam. **LVCIVS noster** § L. Torquatus, qui sententiam Epicuri tuetur l. 1. de Fin. **PATRON** § is, de quo ep. II. l. 5. **NON quo id natura rectum sit**; § non curabant igitur, quae natura recta sunt, ipsa per se, sed ut malum uitaretur, qua ratione qui uitam instituit, uere bonus non est, sed malitiosus, & callidus: utitur enim artificio simulato, ut ea uiret, quae mala esse putat. **NON intelligunt** § non igitur prudentes, ut Carneades. **HAEC** § in quo uir bonus a callido homine differat. **IN ijs libris**, § de Rep. non de Finibus, quos post ciuile bellum scripsit. **QVOS tu laudando**, § quis eos non laudauit? nam Coelius in epistola ad Ciceronem, Tui politici libri, inquit, omnibus uigent. Idem Cicero ep. 13. l. 6. Reliqua plena laudis, & gratiae, digna ijs libris, quos dilaudas. **PEDEM porta non extuleris**; hoc & Caesar l. 3. de bello ciuili scriptum reliquit. **DE raudusculo Numeriano** § quod paruam pecuniam, mihi Numerio debitam, exegisti, sic loc. ep. 8. l. 4. & 8. l. 6. **INTEGRITATIS, iustitiae** § cum, haec in me esse, dixit in sententia sua. **NEGAVIT** § supplicationem. **A RYERO** § M. Cicerone filio. **QVI eadem liber non iuraret**; § Druſus praetor, cum is, quem manumiserat, eadem liber non iuraret, quae seruus iurauerat, negauit se manumisſisse. negabo ego quoque: quoniam istos, memores beneficii quos putauit futuros, improbos ingratosq. experior. **ADDIXISSE** § iussisse, pronunciaſſe. **VINDICARENTVR** § in libertatem: quod praetor ipsum alios quoque adesse oporteret, qui uindicarent, aderant enim coram praetore dominus, seruus, uindex, testes, scriba: neq. sine his iusta erat additio liberorum in hoc genere manumissionis. **PARTHI faciunt**, § sic explano. Parthi, a quibus maxime timebamus, cum repente discesserint, faciunt, ut nihil mihi iam magnopere timendum putem: cum uideam solere ea, quae magnopere timeantur, quandoque ad nihilum recidere. **REPENTE** § summa nostra felicitate. ep. 7. **SEMIVIVVM** § metu exanimatum, qui porta pedem efferre non auderet. **RELIQUERVNT** § ex ipsius prouincia discedentes. ep. 5. lib. 6.

Cicero S. D. Attico.

3.

AD IX. idus Dec. in Trebulanum ueni, & ibi tuas litteras legi, quas Philotimus mihi reddidit, e quibus hanc primo adſpectu uoluptatem cepi, quod erant a te ipſo ſcriptae, deinde earum accuratiſſima diligentia ſum mirum in modum delectatus. Ac primum illud, in quo te Dicearcho aſſentiri negas, eſti cupidiffime expeditum a me ſit, & approbante te, ne diutius amo in prouincia eſſem, ramentum non eſt noſtra contentione perfectum. ſic enim ſcito, uerbum in ſenatu factum eſſe numquam de ullo noſtrum, qui prouincias obtinuimus, quo in his diutius, quam ex S. C. maneremus: ut iam ne iſtius quidem rei culpam ſuſtineam, quod minus diu fuerim in prouincia, quam fortaiſſe fuerit utile. ſed quid, ſi hoc melius e oportune dici uidetur, ut in hoc

ipſo ſiue enim ad concordiam res adduci poteſt, ſiue ad bonorum uictoriam; utrius ſuis rei me aut adiutorem uelim eſſe, aut certe non expertem: ſin uincuntur boni, ubi cumque eſſem, una cum ijs uictus eſſem. quare celeritas noſtri reditus a me oportet debet eſſe. quod ſi iſta nobis cogitatio de triumpho iniecta non eſſet, quam tu quoque approbas: nae tu haud multum requireres illum uirum, qui in VI. libro informatus eſt, quid enim tibi faciam, qui illos libros denor aſti? qui nunc ipſum non dubitabo rem tantam abiicere, ſi id erit rectius. utrumque uero ſimul agi non poteſt, & de triumpho ambitioſe, & de rep. libere, ſed ne dubitaris, quin, quod honeſtius; id mihi futurum ſit antiquius. Nam quod putas utilius eſſe uel mihi, quod tutius ſit, uel etiam ut reip. praeciſe poſſim,

sim, me esse cum imperio: id coram considerabimus quae sit. habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior. De animo autem meo erga rem bene facis, quod non dubitas; & illud probe indicas, nequamquam satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse: eiusque rei causam uere explicas; & eis, quae de Fabio, Cammius, acta scribis, ualde consentiunt, quae si secus essent, totumque se ille in me profudisset: tamen, illa quam scribis, custos urbis me praeclarae inscriptionis memorem esse cogeret; nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium, aut Seruium, quibus tu es contentus; sed aliquid nos uellet nobis dignum & sentire, & defendere, quod quidem agerem, si liceret, alio modo, ac nunc agendum est, de sua potentia dimicant homines hoc tempore, periculo ciuitatis, nam, si resp. defenditur; cur ea, consule isto ipso, defensa non est? cur ego, in cuius causa rei. salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem tribuni perirent? his ille rebus ita conualuit, ut nunc in uno cunctis resp. ad resistendum imbecilla sit, quam mallem, tantas ei uires non dedisset, quam nunc tam ualentem resisteret, sed, quoniam res eo deducta est, non quaeram, ut scribis, τοσδεσς εστιν Αρπειδου, mihi τοσδεσς unum erit, quod a Pompeio gubernabitur, illud ipsum, quod ais, quid fiet, cum erit dictum? die M. Tulli subrota. Pompeio assentiar: ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor, sic enim sentio; maximo in periculo rem esse, nos scilicet plura, qui in urbe estis, uerum tamen hoc uideo, cum homine audacissimo, paratissimoque negotium esse; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaque dignos illac facere, omnem fere iuuentutem, omnem illam urbanam, ac perditam plebem, tribunos ualentes, addito C. Cassio, omnes, qui aere alieno premantur; quos plures esse intelligo, quam putaram, causam solum illa causa non habet; ceteris rebus abundat, hic omnia facere omnibus, ne armis decernatur, quorum exitus semper incertus, nunc uero in alteram partem magis timendi, Bibulus de prouincia decessit; uentonem praefecit, in decedendo erit, ut audio, tardior, quem cum ornauit Cato, declarauit, is se solis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posse accedere, Nunc uenio ad priuata: fere enim respondi tuis litteris de rep. & is, quas in suburbano, & is, quas postea scripsisti, ad priuata uenio. Vnum etiam de Coelio, tantum abest, ut meam ille sententiam moueat, ut ualde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, paenitentem putem, sed quid est, quod cuncti Lucceus sint addicti? hoc te praetermissis miror. De Philotimo, faciam equidem, ut mones: sed ego mihi ab illo non rationes expectabam, quas tibi edidit, uerum id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium mea manu uoluit, quodque idem in

Asia mihi sua manu scriptum dedit. id si praestaret, quantum mihi aeris alieni esset, tibi edidit, tantum, & plus etiam ipse mihi deberet, sed in hoc genere, si modo per rem licebit, non accusabimur posthac: neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati, ergo utemur, ut polliceeris, & opera, & consilio tuo: nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. De serperastris cohortis meae, nihil est, quod doleas, ipsi, si se collegerunt admiratione uitae integritatis meae, sed me mouerat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas, idem & initio fuerat, & nunc est egregius: sed in ipsa decessione significauit, sperasse se aliquid, & id, quod animum induxerat paulisper, non tenuit: sed cum ad se redijt, meisque honorificentissimis erga se officiis uictus, pluris ea duxit, quam omnem pecuniam. Ego a Curio tabulas accepi, quas mecum porto, Horrensque legata cognoui, nunc a uo scire, quid hominis sit, & quantum rerum auctionem instituat, nescio enim, cur, cum portam Flumentanam Coelius occuparit, ego Pitucolos non faciam meos. Venio ad Piraeam, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraeam scripserim, non Piraeum, (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quod, in, addiderim, non enim hoc ut opido praeposui, sed ut loco, & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur, opidum esse Piraeam, sed de re uideo, nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod, non ut de opido, locutus sum, sed ut de loco: secutusque sum, non dico Caecilium, Mane in ex portu in Piraeum: (malus enim auctor latinitatis est) sed Terentium, cuius fabellae, propter elegantiam sermonis, putabantur a C. Laelio scribi. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeum, & idem, Mercator hoc addebat, captante Sunio, quod si diu uos opida uolumus esse, tam est opidum Sunium, quam Piraeum, sed quoniam granitissima es; si hoc mihi daturus per solueris, magna me molestia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit, facit idem pro eo Balbus, mihi certum est, ab honestissima sententia digitem nusquam, sed scis, illi reliquum quantum sit, putas ne igitur uerendum esse, ne aut obiciat id nobis aliquis, si languidus; aut repetat, si fortius? quid ad haec reperis? soluamus; inquis, age, a Coelio mutuabimur, hoc tu tamen consideres uelim, puto enim, in senatu, quando praeclare pro rep. dixeris, Tarsetium istum tuum mihi exenti, iube sodes nummos curare, Quid superest etiam, gener est suavis mihi, Tulliae, Terentiae quantumuis, uel ingenij, uel humanitatis satis, reliqua, quae nosti, ferenda, scis enim, quos aperuimus, qui omnes, praeter eum, de quo per te egimus, reum me facere uentur, ipsis enim expensum nemo offeret, Sed haec coram: nam multi sermonis sunt, Tironis rescindi spes est in M. Curio: cui ego scripsi, tibi eum gratissimum facturum, Vale, D. V. id. Dec. a Pontio, ex Trebulano.

EXPLANATIO

AT ipso scriptae: & ex quo de tua ualetudine coniecturam feci, nam Alexidis manus indicabat te non ualere. Dicae archos assentiri & non quod Dicaearchus nominatim prouinciarum administrationem, sed quod γενικοσ πραξινοσ Clov laudaret: ergo & prouinciarum administrationem. Atticus contra, ut qui Ciceroni auctor esset decessionis, cum primum ei per S. C. liceret, alioqui Dicaearchus ualde Attico probatus, ep. 16. lib. 2. NOSTRA contentione & quod cupidissime expetiui, ut diutius

anno

& Legata, quae heres debebat testamento patris. *QVID hominis sit* & quid agat, ut se gerat. *NESCIO enim* & Puteolanum fuisse M. Coelium, apparet ex oratione pro ipso. Cum inquit, omnia, quae ad portam Flumentanam sunt, Coelius Puteolanus emerit; nescio, cur ego contra omnia, quae Puteolis sunt, non emam: si modo ab Hortensio filio in auctione uenduntur. & per iocum, Homo Puteolanus portam urbis occupauit, cur ego Puteolos non possim? *IN, addiderim*: & in principio epistolae ultimae libri. 6. *ET tamen* & contra sententiam tuam. *DE re uidero* & sit opidum, an locus, nunc non disputabo: ego quidem ut de loco sum locutus. *A C. LAELIO scribi* & id Terentius ipse non infitiatur in prologo Adelphorum. *HOC mihi Zynua* & quod proxime sequitur de Caesare: de quo multo est magis considerandum, quam de Piraeo. *ILLE* & Caesar, ut eius causam ne oppugnem. *RELIQVVM quantum sit*, & quantum illi pecuniae debeamus. ep. 5. l. 5. ep. 8. l. 7. *SI languidus*, & si languidus de rep. sensero, facis hoc, dicit aliquis, quia nummos Caesari debes: sin fortiter, statim soluendum erit. *ALIQVIS* & Pompeianus. *REPETAT* & Caesarianus. *A COELIO* & trapezita; de quo l. 12. *TARTESSIVM* & L. Cornelium Balbum Gaditanum, Caesaris amicum. ex Gadibus enim alteram Tartesson esse dictam, Plinius tradit l. 5. c. xxii. Hunc Cicero oratione, quae exstat, defenderat. Consul postea factus est. Plin. l. 7. c. 43. *EXEUNTI* & e senatu: *NUMMOS*. & Caesari debitos. *CVRARE* & planius, Curari: nec male tamē, Curare. *ETIAM* & etiam superest, quod scribam. usitata locutio in epistolis. uide ep. i. l. i. *GENER* & Dolabella. *RELIQVA* & mores non omnino probandi. ep. 6. l. 6. *APERVERIMVS*. & scis enim, cum de moribus aliorum, qui me socerum cupiebant, diligenter scrutaremur, quales eos inuenerimus. *Aperuerimus*: intime cognouimus, aperientes introspeimus. Bessarionis tamen liber, *Aperimus*: scripti duo apud amicissimum meum, *Aperuerimus*. placet. *PER te egimus*, & ut ei Tullia collocaretur. *REVM* & reuertentibus enim ex prouincia, saepe erant, qui diem dicerent, quod prouinciā auare, aut crudeliter, aut denique contra quam e rep. uideretur, administrassent. *RETVR* & irati, quod eos a Tulliae coniugio reiecerim quamquam non nihil suspicor de mendo. nam, Reri, cogitare non est, sed opinari. *NEMO offeret* & Bessarionis liber, Offerret. duo scripti apud amicissimum meum, Offerret. quos sequor: ut sit: ego enim pecuniam, ut ab accusatione desistant, non offeram. *A PONTIO* & apud Pontium scripta, in Trebulano. ep. 3. l. 5.

Cicero S. D. Attico.

4.

DIONYSIVM, flagrantem desiderio tui, nisi ad te, nec mehercule aequo animo: sed fuit concedendum. quem quidem cognoui cum doctum, quod mihi iam ante erat notum, tum sanctum, plenum officij, studiosum etiam meae laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare uidear, plane uirum bonum. Pompeium uidi xv. id. Dec. fuimus una horas duas fortasse magna laetitia mihi uisus est affici meo aduentu. de triumpho hortari, suscipere partes suas: monere, ne ante in senatum accederem, quam rem confecissem; ne, dicendis sententijs, aliquem tribunum alienarem. quid quaeris? in hoc iudicio, & officio sermonis nihil potuit esse prolixius. de rep. autem ita mecum locutus est, quasi non dubium bellum haberemus. nihil ad spem

concordiae: plane illum ab se alienatum, cum ante intelligeret, tum uero proxime iudicasse: uenisse Hirtium a Caesare, qui esset illi familiarissimus; ad se non accessisse; & cum ille ad viii. id. Dec. uesperu uenisset, Balbus de tota re constituisset, ad vii. ad Scipionem ante lucem uenisse; multa de nocte profectum esse ad Caesarem. hoc illi *τεκμήριος* uidebatur esse alienationis. quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederit, non arbitror fore tam autem, ut haec in discrimen adducat. quod si ruere coepit; nae ego multa timo, quae non audeo scribere. sed, ut nunc est, ad iii. non. Ian. ad urbem cogito. Vale.

EXPLANATIO

IA M ante & antequam mihi ex consuetudine domestica plane notus esset. habuerat enim apud Atticum Dionysius: eumq. Atticus Ciceroni dederat, qui Cicerones pueros erudiret. **TVM sanctum**, plenum officij & malim sic: Tum sane plenum officij. ut Sane, dicat quasi de re minus nota. nam, etsi uideo, eundem Dionysium alio loco sanctum appellari, ep. i. l. 6. tamen hic locum huic esse dictioni non opinor; cum sequatur, Plane uirum bonum, quod certe Cicero non adscripsisset, si sanctum eum iam nominasset. **FRUGI** & quod proprie de libertis usurpatur, ut fam. ep. 15. l. 4. Dionysius autem libertus erat, ut patet supra ep. 15. l. 4. **SUSCIPERE partes suas**: & polliceri se pro sua parte adiuturum. **REM** & de triumpho. **TRIBVNVM** & qui deinde triumphum intercessione impediret. **PROLIXIVS** & abundantius. **ILLVM** & Caesarem. **DE tota re** & quam cum Hirtio examinauit. **AD Scipionem** & Pompeij socerum: ad ipsum tamen Pompeium non uenisse. **VENISSE** & scripti libri, Venire, habent, non, Venisse. **ILLVM**, & Caesarem. *τεκμήριος* & signum eiusmodi, ut dubitari non posset. certum enim signum *τεκμήριον* uocat Arist. rhet. l. i. **ALTERVM consulatum** & ut alterum consulatum absens petere posset. ep. 3. **HAEC** & summam potentiam, summam dignitatem. **RVERE** & contra remp.

Cicero

Cicero S. D. Attico 5.

MULTAS uno tempore accepi epistolas tuas: quae mihi, quamquam recentiora audiebam ex ijs, qui ad me ueniebant, tamen erant iucundae. Studium enim, & beneuolentiam declarabant. Inualetudine tua moueor: & Piliam in idem genus morbi delapsam, curam tibi asserere maiorem sentio. date igitur operam, ut ualeatis. De Tironem, uideo tibi curae esse: quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi praebet; cum ualeat, in omni genere uel negotiorum, uel studiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modestiam malo saluum, quam propter usum meum. Philogenes mecum nihil umquam de Luscentio locutus est: de ceteris rebus habes Dionysium. Sororem tuam non uenisse in Arcanum miror. De Chrystippo, meum consilium probari tibi, non moleste fero. Ego in Tusculanum nihil sane hoc tempore deuium est τοῖς ἀπαιτητοῖς, & habet alia δόξα. sed de Formiano Tarracinam pridie Kalen. Ian. inde Pontinium sumam: in-

de Albauum Pompeij: ita ad urbem III. non. natali meo. De rep. quod magis timeo, non enim boni, ut putauit, consentiunt, quos ego equites R. quos senatores uidi, qui acerrime cum cetera, tum hoc iter Pompeij uituperarent? pace opus est, ex uictoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet, sed haec propediem coram. Iam plane mihi deest, quid ad te scribam. nec enim de rep. quod uterque nostrum scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. reliquum est iocari, si hic sinat. nam ego is sum, qui illi concedi, putem, utilius esse quod postulat, quam signa conferri. sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. quid sentis igitur? inquit. nihil scilicet, nisi de sententia tua, nec prius quidem, quam nostrum negotium aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur, ut ualeas. aliquando ἀπρόσβλητα quartanam istam diligentia, quae in te summa est.

EXPLANATIO

INUALETVDINE & ex quartana. 2. MIRABILES utilitates, & pro, mirabilem usum, mirabiles operas. est enim hic Utilitas ab VTOR, non ab eo, quod utile est, & quod expedit. Ad Tironem ep. 1. l. 16. Utilitatis tuis carere possum. Et Lucretius lib. 6. Nil adeo posset cuiquam leue, tennueq. membris Vertere in utilitatem: pro, in usum. NIHIL umquam & quod agerem tua causa. LUSCENTIO & malo, Tuscentio, ex antiquis lapidibus. DIONYSIVM & qui tibi, quid actum a me sit in rebus tuis, optime narrabit. ep. 1. l. 6. IN Arcanum & Quinti fratris fundum: cum obuiam uiro uenire debuerit. MEVM consilium & qui negare uelim illum a me liberatum ep. 2. PONTINVM & praedium ad Pontinas paludes, & ita ratio dierum constat: pridie Kal. Tarracinam, kalendis in Pontinum, 14. nonas in Albanum, 11. Romam. uerbum, Sumam, crediderim abundare, & additum ab aliquo, qui de Pontino Ciceronis legato acceperit. ITER Pompeij & cum potius ad urbem manere debeat; quod resp. hoc rerum tumore uideatur eius tum consilio, tum etiam praesidio indigere. erat enim Pompeius cum imperio Hispaniarum proconsul, quas absens per legatos administrabat. SI hic sinat: & si per Caesarem liceat. NOSTRVM negotium & triumphum significari, manifestum. ep. 4.

Cicero S. D. Attico. 6.

PLANE deest, quid ad te scribam. nota omnia tibi sunt: nec ipse habeo, a te quid exspectem. tantum igitur nostrum illud sollempne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine litteris dimittamus. De rep. ualde timo: nec adhuc fere inueni, qui non concedendum putaret Caesari, quod postulare, potius, quam depugnandum. est illa quidem impudens postulatio, opinione ualentior: cur autem nunc primum ei resistamus? ὅτι γὰρ ἀγρὸς δὲ μεῖζον ἔπιοι καλόν, quam cum quinquennium

prorogabamus, aut cum, ut absentis ratio haberetur, serrebamus. nisi forte haec illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. dices, quid tu igitur sensurus es? non idem, quod dicturus. sentiam. n. omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem, quod Pompeius; neque id faciam humili animo. sed rursus hoc permagnum rei. malum est, & quodam modo mihi praeter ceteros non rectum, me in tantis rebus a Pompeio dissidere. Vale.

EXPLANATIO

OV γὰρ. & c. & Homeri uersus ὁ δ. μ. ep. 8. etsi paullulum immutat Cicero, ut interdum solet, ad sententiam magis explicandam. SED rursus, & quia dixerat se dicturum quae non sentiat; in quo non uidetur officio fungi boni ciuis: quasi peccatum suum excusauit, dicere quae non sentias, malum est: ted rursus & hoc malum, me in tantis rebus Pompeio dissidere. MIHI praeter ceteros non rectum, & qui Pompeium semper, quantum in me fuit, ornaui, nec ab eo in rep. dissentire sum solitus. ep. 8. l. 1. fam. Tanum animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me ualeat, ut, quae illi utilia sunt, & quae ille uult, ea mihi omnia iam & recta, & uera uideantur.

Y Cicero

Cicero S. D. Attico. 7.

DIONYSIVS, uir optimus, ut mihi quoque est perspectus, & doctissimus, tuiq. amantissimus, Romam uenit xv. Kal. Ian. & litteras a te mihi reddidit. tot enim uerba sunt de Dionysio in epistola tua. illud putato. non adscribis, Et tibi gratias egit, atqui certe ille agere debuit: & si esset factum, quae tua est humanitas, adscripsisses. mihi autem nulla de eo *παλιν* uerba datur propter superioris epistolae testimonium. sit igitur sane bonus uir. hoc enim ipsum bene fecit, quod mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit. Philogenes recte ad te scripsit: curauit enim, quod debuit, cum ego uir ea pecunia uolui, quoad liceret. itaque usui est menses XIII. Pontinium cupio ualere: & quod scribis in urbem introisse, uereor quid sit, nam id nisi graui de causa non fecisset. Ego, quoniam IV. non. Ian. compitalicias dies, nolo eo die in Albanum uenire molestus familiae: ueniam III. non. igitur: inde ad urbem prid. non. Tua *καλῶς* quem in diem incurrat, nescio: sed prorsus te commoueri incommodo ualetudinis tuae nolo. De honore nostro, nisi quid occulte Caesar per suos tribunos molitus erit, cetera uident esse tranquilla. tranquillissimus autem animus meus, qui totum istud aequi boni facit, & eo magis, quod iam a multis audio constitutum esse Pompeio, & eius consilio, in Siciliam mittere, quod imperium habeat. id est *ἀδύνητος*. nec enim senatus decreuit, nec populus iussit, me imperium in Sicilia habere. sin hoc resp. ad Pompeium refert: qui me magis, quam priuatum aliquem, mittat? itaque, si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta, quam primum uidero. Nam quod scribis, mirificam expectationem esse mei, neque tamen quemquam bonorum, aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim: ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo: ipse nullos nomi, sed ita, si ordines bonorum quaerimus. nam singulares sunt boni uiri. uerum in diffensionibus ordines bonorum, & genera quaerenda sunt. senatum bonum putas, per quem sine imperio prouinciae sunt? nū-

quam enim Curio sustinisset, si cum eo agi coeptum esset. quam sententiam senatus sequi noluit. ex quo factum est, ut Caesari non succederetur. an publicanos & qui numquam firmi, sed nunc Caesari sunt amicissimi, an feneratorum & agricolarum? quibus optatissimum est otium. nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id nunquam, dum modo otiosi essent, recusarunt. quid ergo? exercitum retineatis, cum legis dies transierit, rationem haberi placet & mihi uero non absentis quidem, sed, cum id datum est, illud una datum est. Annorum decem imperium, & ita latum, placet & placet igitur. ita me expulsam, & agrum Campanum perisse, & adoptatum patrieum a plebeio, Gradianum a Mithylenaeo, & Labieni diuitias, & Mamurrae praedam, & Balbi horti, & Tusculanum. sed horum omnium fons uerus est. imbecillo resistendum fuit: & id erat facile. nunc legiones XI, equitatus tantus, quantum uolet; transpadani, plebs urbana, tot tribuni pl. tam perdita inuentus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. cum hoc aut depugnandum est, aut habenda e lege ratio. depugna, mihi quis, potius, quam seruias: ut quid? si uictus eris, proscribare: si uiceris, tamen seruias. quid ergo, inquis, aeternus es? idem quod pecudes, quae dispulsae sui generis sequuntur greges. ut bos armenta, sic ego bonos uiros, aut eos, quicumque ducit boni, sequar, etiam si ruent. quid sit optimum male contra actus rebus, plane in deo. nemini est enim exploratum, cum ad arma uentum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni uicti sint, nec in caede principum clementiorem hunc fore, quam Cinna fuerit, nec moderatiorem, quam Sulla, in pecuniis locupletium. *Ἐπιπύριος* uel *σοῦ* iam dudum, & facerem diuitis, nisi me lucerna desereret. Ad summam, die M. Tulli, assentior Ca. Pompeio, id est F. Pomponio. Alexim, humanissimum puerum, nisi forte, dum ego ab sum, adolescens factus est, (id enim agere uidebatur) saluere iubeas uelim.

EXPLANATIO

MHI quoque & non modo tibi: qui, studiosum tuae laudis cum esse, in ijs litteris scripsisti, quas ille te mihi reddidit. **L**ITTERAS ad te eas, quae sunt ep. 4. hoc principio: Dionysium, flagrantem desiderio tui, mihi ad te. **P**UTA toglicet, putes, uirum illum esse optimum, & amantissimam: quod ego secus existimo, omitto, inquit, hanc partem. sit sane ut uis. non adscribis, &c. Videor autem mihi, Putato, pro, Priuatius, quod erat in impressis omnibus libris, recte reposuisse. nam, Priuatius, neque esse uideo in ueteribus libris, & sententiae quid habeat, uix intelligo. ac ne dictio quidem placet. nostrum autem, Putato, sumptum est ex antiquo Bessarionis libro. & plane, quomodo in Dionysium animatus Cicero esset, ostendit. nam & paulo post eandem sententiam alijs uerbis attingit, cum ait: Sit igitur sane bonus uir. **A**TOVI certe & opinor, Certe, glossema fuisse. **P**HILOGENES libertus tuus, ep. 2. l. 6. **Q**UOAD liceret? conuenerat inter nos, ut pecuniam sumerem a Philogene tuo: non sumpsi; quia non opus fuit: permisi, ut ipse ueretur, quoad meae rationes ferrent. uide ep. 2. 3. & 15. lib. v. **G**RAVI de causa & meum. n. aduentum expectaret; ut, si de triumpho impetrarem, mecum simul urbem ingrederetur. ep. 5. **C**OMPITALICIVS dies & in oratione in Pisonem suspicor esse mendum, & legendum, Cum in Kal. Ianuarias compitaliciorum dies incidisset, non, ut est in uulgatis libris, incidissent. unum enim fuisse diem compitalicium, patet ex Macrobio, & Varrone. **A**LBANVM & Pompeij. **F**AMILIAE & cuius hilaritatem die festo meus aduentus interpellaret. **T**VA καλῶς & quietanae correptio. **T**E commoueri & in Albanum uelut te ad me uenire: sed rursus nolo te commoueas incommodo ualetudinis tuae. epist. 8. **M**OLITVS erit, & ut intercedat tribunus aliquis, ne possim triumphare. **Ἀδύνητος: & stultum: & iusmo-**

iusmodi, ut Abderitarum stultitiam uideatur imitari. ep. 16. l. 4. **V**TAR. ea porta, & si Pompeius ideo perget in Siciliam me mittere, quia imperium habeam: ego, ne mittat, statim, quae prima porta erit, ea in urbem ingrediar, abiecto imperio simul, & triumphandi consilio. **P**ER quem sine imperio & cum. n. factum esset S. C. ut successores in prouincias mitterentur; C. Curio tribunus pl. Caesaris causam defendens intercessit: & cum de intercessione referretur, primaq. M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendum cum tribunis pl. censerebat; frequens senatus dissensit. ergo senatus culpa successores non missi: itaque sine imperio prouincia, id est sine magistratibus. ep. 5. & 13. l. 8. fam. Si cum eo agi & quomodo agebatur cum tribunis pl. fiebant in eos S. C. acerrima, nisi intercessionem remitterent; ut de modo Ciceronis, cum sententiae grauissimae dicerentur in Serranum, qui S. C. intercesserat, pertimuit, & intercessionem omisit. epist. I. I. libri IV. **S**ENTENTIAM & Marcelli, ut ageretur de Curionis intercessione. **Q**UID ergo? & cum igitur omnia uideas infirma pro rep. & imparata ad bellum, censes dandum Caesari, quod postulat? **L**EGIS dies & uide epistolam sequentem, in extremo. **C**UM id datum est, & datum enim Caesari est a decem tribunis pl. lege lata, non solum ut absens, sed etiam ut exercitum retinens petere consulum posset: uel quod ita in lege scriptum esset: uel quod, cum daretur, ut absens peteret, sequebatur, ut & illud daretur. ideo enim absens petere uult, ne exercitum dimittat, datur autem, ut absens petat: datur ergo simul, ut exercitum retineat. **A**NNORVM decem & per tot enim annos Caesar Galliam obtinuit, contra legem Semproniam. Hoc si placet, placeat & illa quamuis iniusta, me patria pulsam a Clodio, quem Caesar consul ad plebem transtulerat, agrum Campanum diuisum, Clodium adoptatum a M. Fonteio, L. Cornelium Balbum Gaditanum a Theophane Mitylenaeo. haec enim in actis Caesaris numerantur. In oratione tamen pro Cornelio Balbo adoptionem Theophanis, quam hic improbat, exagitata ab accusatore, tempore seruiens defendit. **I**TA latum, placet? & hoc significat: si dicam, non recte latum de decem annorum imperio; dicam in Pompeium, quo pugnante latum est, quia illa reprehendere non uult, quae si probo, probem simul & ea necesse est, me pulsam, agrum Campanum diuisum, &c. **L**ABIENI & Caesaris legati. **D**IVI TIAE & a Caesare datae. **M**AMVRRAE & quippe qui primus Romae parietes frustra marmoris operuerit totius domus suae in Coelio monte, coelumnis omnibus e marmore solidis, Charysio, aut Lunensi, cum esset praefectus fabrum Caesaris in Gallia. Plinius, Suet. in Iulio, Catullus. **B**ALBI horti & quos Pompeius dono dederat, ep. 16. l. 9. **T**RANSPADANI, & promissae ciuitatis beneficio deuincti, quam denique dictator dedit, Suet. in Iulio, Dio, & ep. fam. l. 16. ep. x. de Caesare, Gallias, inquit, habet ambas inimicissimas, praeter Transpadanos. **P**LEBS urbana & infima uidelicet, & perdita, nam rustica bonorum uirorum ex omni ordine, ep. 3. l. 7. **E**LEGE & a decem tribunis pl. lata. **R**ATIO & absentis, in petitione consularis. **Q**UID sit optimum & optimum cum ualentiore non pugnare. **Q**UID futurum & ad utram partem uictoria inclinatura. **D**IC. M. Tulli. & sic rogabant sententias. Liu. l. 1. Dic, inquit, ei, quem primum sententiam rogabat, Quid censes? **I**D enim agere uidebatur & qui iam pubesceret: aut, qui se colere, & ornare diligentius inciperet, ut speciem adolescentis assequeretur: quod fere illa aetas solet.

Cicero S. D. Attico 8.

QUID opus est de Dionysio tam ualde affirmare? an mihi natus tuus non faceret filium? suspicio-
ne autem eo mihi maiorem tua taciturnitas at-
tulerat, quod & tu soles conglutinare amicitias testimo-
nijs tuis, & illum aliter cum alijs de nobis locutum au-
diebam. sed prorsus ita esse, ut scribis, mihi persuades:
itaque ego is in illum sum, quem tu me esse uis. Diem
tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam inci-
piente febricula scripseras, mihi notaueam, & ani-
maduerteram, posse pro re nata, te non incommode ad
me in Albanum uenire III. non. Ian. sed, amabo te nihil
incommode ualitudinis feceris. quid enim est tantum
in uno, aut altero die? Dolabellam uideo Liniac testa-
mento cum duobus coheredibus esse in triente, sed iube-
ri mutare nomen. est πολιτικὴ ὀνείμα, rectum ne sit
nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento.
sed id πολιτικὸν τερὸν διδραχμῶν, cum sciemus, qua-
ntum quasi sit in trientis triente. Quod putas si fore, ut
ante, quam istuc uenirem, Pompeium uiderem: factum
est ita, nam VI. Kalen. ad Lauernium me consecutus est.
una Formias uenimus, & ab hora octaua ad uesperum
secreto collocuti sumus. Quod quaeris, eo quae spes pa-
cificationis sit: quantum ex Pompeij multo, & accura-

to sermone perspexi, ne uoluntas quidem est. sic. n. ex isti-
mat, si ille, uel dimisso exercitu, consul factus sit, οὐ γὰρ
οἷ τῆς πολιτικῆς fore. atque etiā putat eū, cum audie-
rit, contra se diligenter parari, consulum hoc anno ne-
glecturū, ac potius exercitum prouinciamq. retenturū.
sin autē ille fureret; uehementer hominē contemnebat,
& suis, & reip. copijs confidebat. quid quaeris? etsi mi-
hi crebro Ζωὸς Ἰουλιὸς occurrebat; tamen leuabar cu-
ra, uirū fortem, & peritum, & plurimum auctoritate
ualentem audiens, πολιτικῶς de pacis simulatae peri-
culis differētē. habebamus autem in manibus Antonij
cōcionem, habitam x. Kal. Ian. in qua erat accusatio Pō-
peij usque a toga pura, querella de damnatis, terror ar-
morum. in quibus ille, Quid censes, aiebat, facturum es
se ipsum, si in possessionem reip. uenerit, cum haec quae
stor eius infirmus, & inops audeat dicere? quid multas
non modo non expetere pacem istam, sed etiam timere
uisus est. ex illa autem sententia ira relinquendae ur-
bis mouet hominem, ut puto. mihi autem illud molestis-
simum est, quod soluendi sum nummi Caesari, & instru-
mentum triumphi eo conferendum: est enim ἀμοιβὴν
ἀντιπολιτευόμενου χροαείλεται esse. Sed haec, & multa
alia coram. Valitudinem tuam cura diligenter.



EXPLANATIO

DLEM tuum & diem quartanae, *quod non sit*. **P**ro re nata & quo modo se res habet: non ita quidē commo-
de, ut si ualeres, nec tamen profus incommode: ut res fert: quatenus tua permittit ualetudo. ep. 4.
l. 7. & l. 14. ep. 6. E re nata, dixit Terentius in Adelphis. **R**ECTVM ne sit & praefertim mulieris testamentos,
quasi magis licere uideatur mutare nomen, cum a uiris adoptemur. Dolabellae uero eo minus licet, cui
non omnia bona, sed nonam partem dumtaxat Liuiā legauit. erat enim in triente cum duobus cohere-
dibus, ut ad eum quasi triens trientis, id est trientis tertia pars, pertineret. Accedit illud, quod ex parti-
cio plebeius fiebat. **Q**UANTVM & quantum bonorum in Dolabellae tertia parte trientis. **Q**UASI & non
omni quidem, (nam id, bonis Liuiāe non uenditis, aut non aestimatis, certo sciri uix poterit) sed
quasi, hoc est, quatenus sciri licebit. **M**UTARE nomen & ut ex Cornelio Liuius fiet, & plebeius & pa-
tricio. **L**AVERNIVM & hoc Lauerniū non memini, alij. **L**ITERNIŪ: ut de fundo accipiat, Bessaronis lib-
er, Laruenium. **P**ARARI & ut eius ratio absentis ne habeatur. **O**CCURREBAT: quem timens, a dimica-
tione abhorreo. **S**IMVLATAE & quam Caesar se uelle simularet, cum re uera belli cupidus esset. **P**ERI-
CVLIS & quid, n. non audebit Caesar consul, cum quaestor eius Antonius tantum ausus sit: quod paullo
post subijciet, abhorrebā, inquit, profus a bello, quia cōmunem Martem timebam: sed rursus nec pla-
ne mihi pax placere poterat, cum eam, tamquam simulatā, ac reip. periculosam, homo fortis, ac peritus
Pompeius improbaret, quam audiens, leuabar ea cura, quam, ex bellorum incerto euentu, sustinebam,
ANTONII & tribuni pl. qui paucis post diebus cum Cassio collega ad Caesarem profugit. fam. l. 16. ep. 3.
A TOGA pura & a prima adolescentia, post XVI. annū finitum. ep. 20. l. 5. **D**AMNATIS & de ambitu, lege,
quā Pompeius tertium consul tulerat. qua lege damnatos Caesar, uictō Pompeio, mox omnes restituit.
ARMORVM & non minabatur Antonius, sed accusabat: itaq. non refero hoc ad Antoniū, sed ad ipsum
Pōpeium, qui terrorem armorum, ductis in urbē legionibus, in terri suo cōsulatu, imceerat, quod, Cae-
sar etiam illi obijcit l. 3. de bel. ci. exprobrata simul damnatione eorū, qui lege ab ipso Pompeio lata, in
exulium ierant: quod utrumque in sua concione attigit Antonius, uerba Caesaris haec sunt: Nōnullos,
ambitus lege Pompeia damnatos, illis temporibus, quibus in urbe praefidia legionum habuerat, in inte-
grum restituit. **I**LLI & Pompeius. **I**DSVM & Caesarem. **Q**UAEATOR & Antonius: quaestor autem in Gallijs.
ep. 6. l. 6. & Hirtius l. 9. **T**IMERE & ut simulatam, & periculosam. **I**RA relinquendae urbis & hunc locum ut
mendosum esse suspicaret, primum ipsa me adduxit sententia, obscuris inuoluta uerbis, deinde uarietas
antiquorum librorum. **C**analcantis. n. exemplar pro Ira habet vii. Bessaronis autem, In fra; alij duo, Ita,
minime tamen displicet; Ira: hoc sensu: Ex illa sententia de pace fugienda, in qua ipse est, quia pacem si-
mulatam putat; sequitur, ut urbem sibi uideat esse relinquenda m. ad bellum. n. neque paratus est, neque
parare potest; cum nihil adhuc senatus decreuerit, aut populus iusserit. **I**ra: necessitas ei molestissima.
MOUET & perturbat. **U**T puto & quia Pompeius hoc quidem occultabat, ne, si diceret urbem esse relin-
quendam, omnium animi ad pacem uel iniqua condicione inclinarent; cum bellum ipse mallet.

Cicero S. D. Attico 9.

QUOTIDIE ne, inquit, a te accipiendae litterae sunt?
si habeo, cui dem, quoti die, at iam ipse ades. tū
igitur, cum uenero, desinam. Unas uideo mi-
hi a te non esse redditas, quas L. Quinctius, familiaris
meus, cum ferret, ad Bustum Basilij uulneratus, & de-
spoliatus est. uidebis igitur, nū quid fuerit in ijs, quod me
scire opus sit. & simul tu hoc dicitur: *quod si non sa-
ne potest: cum sit necesse, aut haberi Caesaris ratio-
nem, illo exercitum uel per senatū, uel per tribunos pl.
obtinete, aut persuaderi Caesari, ut tradat prouinciam,
atque exercitum, & ita consul fiat, aut, si id non per sua-
deatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente,
atque obrinente prouinciam; aut si per tribunos pl. non
patiat, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum;
aut, si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, e-
xercitum adducat, armis cum eo contendere; illum au-
tem initium facere armorum aut statim nobis minus pa-
ratis, aut tum, cum comitijs, amicis eius postulanti-
bus ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit: ire autē
ad arma aut hanc unam ob causam, quod ratio non ha-
beatur, aut addita causa, si forte tribunos pl. senatum
impediens, aut populum incitans notatus, aut senatus*

consulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus
sit, dicens uel se expulsus, ad illum confugerit suscepto
autem bello, aut tenenda sit urbs, aut, ea relicta, ille
a comitatu, & reliquis copijs intercludendus: quod
horum malorum, quorum aliquod certe subeundum
est, minimum putes. dices profecto, persuaderi illi, ut
tradat exercitum, & ita consul fiat. est omnino id e-
iusmodi, ut, si ille eo descendat, contra dici nihil possit:
idq. eum, si non obtinet, ut ratio habeatur retinentis
exercitum, non facere miror. nobis autem, ut qui-
dam putant, nihil est timendum magis, quam ille con-
sul. at sic malo, inquit, quam cum exercitu, cer-
te. sed istuc ipsum, si cō, o magnum malum, putat
aliquis, neque ei remedium est ullum. cedendum est,
si id uolet. uide consulem illum iterum, quem uidi
consulatu priore. at tum imbecillus plus, inquit, uo-
luit, quam tota resp. quid nunc putas? & eo consule,
Pompeio certum est esse in Hispania, o rem miseram:
siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non
potest, & quod ille si faciat, iā iā a nobis omnibus sum-
mam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quo illum
posse adduci negari, de reliquis quid est deterrimum?

con-

concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime posu-
lat. nam quid impudentius tenuisti provinciam per de-
cem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim, &
per factionem datos, praeterit tempus legitimum, non
legis, sed libidinis tuae. fac tamen, legis: ut succedatur,
decernitur: impedis; & ais, habe mei rationem, habe tu-
nostrum, exercitum tu habeas diutius, quam populus
iussit, invito senatu? Depugnes oportet, nisi conce-
dis. Cum bona quidem spe, ut ait idem, uel uincendi,
uel in libertate moriendi. Iam, si pugnandum est; quo
tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm
est, itaque te in ea quaestione non exerceo: ad ea, quae
dixi, asser, si quid habes. equidem dies, noctesq. tor-
queor. Vale.

EXPLANATIO

BVSTVM Basilij & Pediani uerba haec sunt in Miloniana: Via Appia est prope urbem monumentu
Basilij; qui locus latrocinij fuit per quam infamis. CVM sit necesse } hoc, & quae proxime sequun-
tur, illud spectant, Quod horum malorum minimum putes. COMITIA } consularia. TAMEN quie-
scat, } prohibere comitia Caesar potest, uel iure, uel armis; iure, si parer intercessorem tribunum, qui
comitia impediatur, tamen ipse quietus, nec arma moueat; armis, si non adhibeat intercessorem, sed exer-
citur adducat. REM adduci ad interregnum; } cum enim comitia usque eo protrahuntur, ut insequens
annus sine consulibus sit, Interregnum dicitur. Res igitur adducetur ad interregnum, si Caesar per tri-
bunos pl. non patietur haberi comitia sine sua ratione. SENATVM impediens, } S. C. intercedens. CIR-
CUMSCRIPTVS } factio aduersus eum S. C. Eodem sensu de Clodio dixit in oratione pro Milone: Se-
natus, credo, cum praetorem circumscriptisset, & de Octauiano Philipp. lib. 12. Parata de circumscri-
bendo adolescente sententia consularis, est enim in cuius circumscriptio ignominia, & priuatio iuris. IN-
TERCLVDENDVS } hoc enim, nisi urbe relicta, fieri uix potest. CONTRA dici nihil possit. } non enim
peret absens; quod contra leges est; sed praesens, tradito exercitu; quod uisum. Sic malo, } ut con-
sulatum petat tradito exercitu. ISTVC ipsum, sic } Caesarem, tradito exercitu, ad consulatus petiti-
onem uenire. OMAGNYM malum } O, crediderim abundare propter proximum uerbum, Putat. Si
id uolet } si, tradito exercitu, uenire uolet ad petitionem consulatus. VIDE consulem } ecce iterum ha-
bebimus consulem, qualem habuimus consulatu priore, perditum scilicet, & reip. exitiosum. Et eo con-
sule, } eo magis est timendus consul, quia, eo consule, Pompeio deliberatum est ab urbe discedere, &
ad Hispaniae administrationem se conferre, in quo praesente magnum esset reip. praesidium contra fa-
ctiosi consulis conatus. REVSARI non potest. } si enim tradito exercitu uolet ad comitia uenire, re-
cusare non possumus. INEAT gratiam } quia, cum ex lege a decem tribunis pl. lata, possit absens, &
exercitum retinens, consulatum petere; tamen de suo iure decedens, ne mali exempli rem instituat, tra-
dito exercitu ad comitia ueniat. TOLLAMVS } omitamus. VT idem dicit } Pompeius, & idem, qui
affirmat Caesare consule se futurum in Hispania, PRAETERIT tempus } scripta enim est haec episto-
la Marcello & Lentulo cos. qui erat annus decimus provinciae Caesaris. IMPEDIS, } per tribunos pl.
MEI rationem } absentis, & exercitum retinentis; quod a populo datum est. ep. 7. NOSTRYM } no-
strae uoluntatis, qui, ut succedatur, decernimus. DEPUGNES } ex persona Caesaris. CONCEDES } quod
postulo, ut absentis ratio habeatur. CVM bona quidem spe } ex persona Ciceronis, VT ait idem } non,
Caesar; (et si facta proxime de eo mentio est) ad quem id referri, quo tuendae studium libertatis osten-
ditur, absurdum est; sed, Pompeius, qui tamquam optimatum princeps, & reip. ciuis amantissimus in-
ducitur in hac epist. de quo & paullo ante, VT idem dicit. IN ea quaestione } quo tempore, aut quo consi-
lio pugnandum, pugnandi enim tempus ostendit casus, consilium autem non a nostra prudentia, sed a
temporibus petitur, hoc igitur omisso, asser, si quid habes, ad superiora.

Cicero S. D. Attico. 10.

SVBITO consilium cepi, ut ante, quam luce-
ret, exirem; ne qui conspectus fieret, aut sermo,
litoribus praesertim laureatis, de reliquo, neque her-
cule, quid agam; nec, quid acturus sim, scio: ita
sum perturbatus temeritate nostrae amentissimi consilij,
tibi uero quid suadeam, cuius ipse consilium exspe-
cto? Caecus noster quid consilij ceperit, capiat ue, ne-
scio, adhuc in opidis coarctatus: & stupent omnes. si
in Italia consistat, erimus unam; si cedet, consilij res est.
adhuc certe, nisi ego insanio, stulte omnia, & incau-
te. Tu, quae so, crebro ad me scribe, uel quod in buc-
cam uenerit. Vale.

EXPLANATIO

LAUREATIS, } Imperatores & in litteris, & in lictorum fascibus utebantur laurea, deuictos hostes
indicante, Caesar de bello ciuili l. 3. & in oratione in Pisonem. AMENTISSIMI consilij, } temere,
& stulte urbe relicta. STUPENT } ex temeritate, & stultitia Pompeij, sed, quoniam proprie Stupere
dicitur is, qui torpore quodam capus languet immobilis, aut inopia consilij, aut aliqua re tarditatem
injicente; uideretur non absurde posse corrigi, Coarctatus, & stupens. Omnes, si in Italia consistet, erimus
una.

una. Ut Omnes, accipiatur de ijs, qui causam Caesaris improbant. ueni autem in hanc sententiam eo libentius, quod & in Bessarionis libro scriptum animaduerti, Stupens, non, Stupent: & particula, Et, pro, Sed, reposita, minima mutatio est: siquidem in antiquioribus libris, & lapidibus, per t scribitur, Set. CONSILII res est & deliberabitur. OMNIA & Pompeij consilia de ratione belli gerendi.

Cicero S. D. Attico. 11.

QVAESO, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt. Cingulum, inquit, nos tenemus. Anconem amissimus. Labienus discessit ab Caesare. utrum de imperatore populi R. an de Hannibale loquuntur? o hominem amentem, & miserum, qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ uiderit. atque haec ait omnia facere se dignitatis causa. ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes ciuium, quo facilius sit aditus ad patriam? ἡγεῖν ἀποκοπὰς, οὐ γὰρ ἄδω καὶ θόδοις, sexcenta alia scelera moliri, τῆν θεῶν μαγιστὴν ὡς ἔχεν τυρανίδα? sibi habeat suam fortunam. unam mehercule tecum apri cationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regnas, uel potius mori millies, quam semel istiusmodi quidquam cogitare. quid si tu uelis? inquis. age quis est, cui uelle non liceat? sed ego ipsum, uelle, miserius esse duco, quam in crucem tolli. una res est ea miserius, adipisci, quod ita uolueris. Sed haec haec tenus: libenter enim in his molestijs ἐγχορᾷ ζῶσι. redeamus ad nostrum. Per fortunas, quale tibi consilium Pompeij uidetur? hoc quaero; quod urbem reliquerit, ego enim ἀπορῶ: tum nihil absurdius. Urbem tueri liquas? ergo idem, si Galli uerrent, non est, inquit, in

parietibus resp. at in aris, & focis. fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat. at idem Pericles non fecit, animum fere post quinquagesimum, cum praeter moenia nihil teneret. nostri olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

οὐ τὸ πρὸς τῆς ἀπόσθεν ἐπὲν δὲ μεθὰ τὰ ἐξ ἀνδραγῶν. rursum autem ex dolore municipali, sermonibusque eorum, quos conuenio, uidetur hoc consilium exitum habiturum. mira hominum querella est, (nescio istic: sed facies, ut sciam) sine magistratibus urbem esse, sine senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines mouet. quid quaeris? alia causa facta: nihil iam concedendum putant Caesari. haec, tu mihi explica, quae lia sint. Ego negotio praesum non turbulento. nunt enim me Pompeius esse, quem tota haec Campana, & maritima ora habeat ἐπιχορῶν, ad quem delectus, & summa negotij referatur. itaque uagus esse cogitabam: Te puto iam uidere, quae sit ὄψιν Caesaris, qui populus, qui totius negotij status. ea uelim scribas ad me, & quidem, quoniam mutabilia sunt, quam saepissime. aequiesco enim & scribens ad te, & legens tua. Vale.

EXPLANATIO

QVAESO, quid hoc est? & quaeso mihi explica, quo consilio haec administrantur a Pompeio: ego enim non uideo. LABIENSUS: & Caesaris legatus, summae auctoritatis in exercitu. sam. ep. xi. l. 16. LOQUUNTUR & cum loquuntur de Caesare. LUCRETINO: & Lucretio, & Caualcantis liber, & Bessarionis. obscurum, quid significet: nec abest mendii suspicio. Lucretius Horatio mons est in Sabinis. QUID si tu uelis? & quasi dicat: si tyrannidem uelis, quod uolueris tamen non assequere ideoque, fortasse o Cicero non uis; quia, si uelles, tamen adipisci non posses. Responder, noli putare me tyrannidem ideo nolle, quia, etiam si uelim, adipisci tamen non possim: sed puta ideo nolle, quia, uelle, per se ipsum duco miserimum. QUIS est? & possum quidem uelle, (quis enim non potest? libera cuiusque uoluntas est) sed uolo, quia summam miseriam in ipsa uoluntate constituo, maiorem tamen in re. AD nostrum. & Pompeium. PER fortunas & in re misera modus obtestandi. ΑΠΟΡῶ & mihi explicatum non est, utrum laudem, an secus: dubius animi neutram in partem pendeo. ΤΥΝC nihil absurdius & ego modo ἀπορῶ, modo nihil statuo fieri posse absurdius. tu, quid sentias, ostende. IDEM & faceres. quod maiores nostri non fecerunt, qui, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. IN aris, & focis & in libertate: cuius ego conseruandae causae, urbem, hoc est parietes, reliqui. Hinc, Pugnare pro aris, & focis, id est pro libertate. THEMISTOCLES & qui, copijs Persarum in Graeciam influentibus, consilium cepit de urbe relinquenda. PERICLES & Lacedaemoniorum bello. ΕΠΕΥΘΟ ΜΕΘΑ & uagebamur gloriam, quasi amissam, & in Pompeio desideratam. Hom. ix. Hoc consilium & quod urbem reliquerit. EXITVM habiturum & non inutile futurum: siquidem fugiens Pompeius mirabiliter homines mouet, ut Caesari, cui aliquid antea concedebant, nunc nihil concedendum putent, ne hoc quidem, ut praesens consulatum possit petere. Consilium dicitur exitum habere, cum succedit, quod uolumus. DELECTVS, & militum. VAGVS esse & ut specularet omnia. VIDERE & quia Romae es.

Cicero S. D. Attico. 12.

VNAM adhuc a te epistolam acceperam, datam te dedisse, quam non acceperam. sed quaeso, ut scribas XII. kal. Ian. in qua significabatur, aliam te an quam saepissime, non modo si quid scies, aut audieris, sed

sed etiam si quid suspicabere; maxime quid nobis faciendum, aut non faciendum putas. Nam quod rogas, cur em, ut scias, quid Pompeius agat: ne ipsum quidem scire puto; nosrum quidem nemo. uidi Lentulum cos. Formijs x. kal. uidi Libonem, plena timoris, & terroris omnia. ille iter Larinum, ibi enim cohortes, & Luceriae, & Theani, reliquae in Apulia, inde utrum consistere uispiam uelit, an mare transire, nescitur. si manet; ne reor, ne exercitum firmum habere non possit. si discedit; quo, aut qua, aut quid nobis agendum sit, nescio. nam istum quidem, cuius φαρμακὸν times, omnia taeterrime facturum puto, nec enim rerum prolatio, nec senatus, magistratumque discessus, nec aerarium clausum tardabit. Sed haec, ut scribis, cito sciemus. interim uelim tibi ignoscas, quod ad te scribo tū multa toties. ac quieto enim, & tuas uolo elicere litteras, maxime consilium, quid agam, aut quo me pacto geram; dimittam ne me penitus in causam, (nō deterreor periculo, sed disrumpor dolore: tam ne nullo consilio, aut tam contra meum consilium gesta esse omnia?) an cūcter, & tergierfer, & hīs me dem, qui tenent, qui potiuntur. αὐδῆμα τρωῶς; nec solum ciuis, sed etiā amici officio reuocor, etsi frangor saepe misericordia

puerorum, ut igitur ita perturbato, etsi te eadem sollicitant, scribe aliquid, & maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M. quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem statuit, L. Torquatus eundem, me cum multa, tū etiam lictores impediunt, nihil uidi unquam, quod minus explicari posset, itaque a te nihil dum certi exquiro, sed quid uideatur, denique ipsam ἀποφασίαν tuam cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat, si ita factum esset, ut ille Romam ueniens magistratum: & senatum Romae offenderet: magno usui causae nostrae fuisset, dānasse enim sceleris hominem amicum, reip. causa, uideretur, quod nunc quoque uidetur, sed minus prodest, non enim habet, cui proficiat, cumq. arbitror paenitere, nisi forte id ipsum est falsum, discessisse illum: nos quidem pro certo habebamus, & uelim, (quamquam, ut scribis, domesticis te finibus tenes) formam tibi urbis exponas, eo quod Pompeij desiderium, eoque Caesaris inuidia appareat; etiam quid censeas de Terentia, & Tullia, Romae eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. & haec, & si quid aliud, ad me scribas uelim, uel potius scripseris. Vale.

EXPLANATIO

* XII. kal. Iun. 3 ex epistolis post proximam sequentibus perspicuum fit, non esse scriptam hanc me te Maio, sed mense Ianuario, itaque mendum esse in uerbo Iun. Libonem 3 Sexto, Pompeij filio, socerum hunc fuisse, tradit Appianus. nec bonum ciuem indicat infra, ep. 14. l. 9. ISTVM 3 Caesarem. φαρμακὸν 3 similes actiones actionibus Phalaridis tyranni, RERVM prolatio, 3 Rerum prolatio, & Res prolatae, uideo scriptum a nemine, quid significet: significat autem, ut ex accurata multorum examinatione collegimus, tempus illud, cum homines feriarentur. Declarat maxime Plautus in Captiuis ex persona parasiti,

- 3 Vbi res prolatae sunt, cum rus homines eunt,
- 3 Simul prolatae res sunt nostris dentibus.
- 3 Quasi cum caletur, cochleae in oculo latent,
- 3 Suo sibi succo uiuunt, res si non cadit:
- 3 Item parasiti, rebus prolatis, latent,

Et pro Murena, ubi iurifconsulto agit: Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quae neque extra Romam usquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam ualer, & ad Quintum fratrem, Res prolatae, ad interregnum comitia adducta, & epist. v. libri xiv. Meam stultam uerecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere uiderer hunc rerum tumorem. Rerum igitur prolatio, siue, Res prolatae, idem est, ac si dicas, uacatio a muneribus, quae maxime erat ludorum diebus. Ludorum autem nomina, Votui, Romani, Victoriae, Plebeij, quorum primi Votui xvii. Kal. Sept. commissi, per quindecim dies celebrabantur: & continuo Romani per decem dies: cum interea res prolatae dicebantur. confectis Votuiis, & Romanis, rursus ad negotia. iudicia fiebant: senatus habebatur: tum publice, tum priuatim quisque satagebat in sua re. hoc usque ad 11x. Kal. Nouembris. nam cum inter ludos Romanos & ludos Victoriae dies intersint xlv. quod aperte ipse declarat lib. i. v. in Verrem: recte subducenti perspicuum fiet, ludorum Victoriae commissionem incidere in diem 11x. Kal. Nouembris. quod significatur & ad Quintum fratrem ep. 8. lib. 3. Iterum igitur res prolatae, Victoriae autem ludi, cumq. his Plebeij coniuncti, dies auferebant octo: ut ad 4. nonas Nouembris & magistratus, & cuiusvis ordinis homines intermissam rei siue publicae, siue priuatae administrationem repeterent. itaque ep. 16. l. 4. Pontonius uult ad 4. nonas Nouembris triumphare. Ex quo patet, non fuisse diem festum 4. nonas Nouembris. ad Quintum fratrem tamen 3. nonas legitur, ep. 4. l. 3. TARDABIT 3 quocumque tempore ad urbem Caesar uenerit, statim aget quae putabit e re sua; non eum tardabit rerum prolatio; quo tempore nihil neque publice fit, neque priuatim: contemnet antiquum morem; sine senatu, sine magistratibus decernet ipse ex libidine: refringet aerarium: publicasq. pecunias, ad usum reip. seruatas, reip. ad oppugnationem conuertet. IIS me dem, 3 Caesari. Αὐδῆμα τρωῶς 3 uide epist. 5. l. 2. PVERORVM 3 Marci filij, & Quinti Ciceronum: quibus intelligo me pessime consulere, nisi sequor eos, qui tenent, qui potiuntur. EVM finem statuit 3 ait, dum Pompeius in Italia sit, nos eum sequi debere: si cedit Italia, finem nobis esse faciendum. LICTORES 3 in epistola ad Coelium, fam. l. 2. ep. 16. Accedit, inquit, molesta haec pompa licitorum meorum, nomenq. imperij, quo appellor. eo si onere carerem, quamuis

nis paruis Italiae latebris contentus essem. sed incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum. **MINVS explicari** § quod in utramque partem multa occurrunt. **Atque** **placitam** § solebat enim Atticus non plane suam sententiam explicare, sed uti uerbo dubitationem significante, uti ἐπέχειν, ep. 9. l. 6. ἀποπέειν, ep. 14. l. 9. **ILLE** § Labienus. **ROMAE offenderet** § quod non euenit: quia nos urbem reliquimus: itaque non habet, cui proficit, cum ipsi nostram causam perdidimus. & fortasse abundat, Romae: cum dixerit iam, Romanam ueniens. **DOMESTICIS finibus** § qui tantum domestica tractes, rebus publicis te non admisceas. **VRBIS** § rerum urbanarum.

Cicero S. D. Attico.

13.

DE Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum ^{ἡρώα} iudico, facinus iam diu nullum civile praeclarium, qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit; dedit illi dolorem. sed etiam ad summam profectum aliquid puo, amo etiam Pisonem: cuius iudicium de genero suspicor uisum iri graue. quamquam, genus belli quod sit, uides ita civile est, ut non ex ciuium dissensione, sed ex unius perditu ciuis audacia natum sit. is autem ualeat; exercitum tenet multa spe, & promissis; omnia omnium concupinit. huic tradita urbs est, nuda praesidio, referta copijs. quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa, & tecta non patriam, sed praedum putet? quid autem sit acturus, aut quo modo, nescio, sine senatu, sine magistratu. ne simulare quidem poterit quidquam πολιτικός. nos autem ubi exsurgere poterimus? aut quando? quorum dux quam ἀσπασίτης, in quoque animaduertis; cui ne Picena quidem nota fuerint. quae autem sine consilio res steterit? ut enim alia omittam decem annorum peccata, quae condicio non huic fugae praestitit? nec uero nunc quid cogitet, scio: ac non desino per litteras sciscitari. nihil esse timidius constat, nihil perurbatius. itaque nec praesidium, cuius parandi causa ad urbem retentus est, nec locum, ac sedem praesidij uelam uideo. spes omnis in duabus, inuidiose retentis, paene alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem inuitorum est, & a pugnando abhorrentium. condicionum autem amissum tempus est. quid futurum sit, non uideo. commissum quidem a nobis certe est, siue a nostro duce, ut, e portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus. itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam: nam mihi interdum amandandi uidentur in Graeciam. de Tullia autem, & Terentia, cum mihi barbarorum aduentus ad urbem proponitur, omnia timo: cum autem Dolabellae uenit in mentem, paulum respicio. sed uelim consideres. quid faciendum putes: primum ἔπος τὸ ἀσπασίτης: (aliter enim mihi de illis, ac de me ipso, consulendum est) deinde ἔπος τὰς δόξας;

ne reprehendamur, quod eas Romae uelimus esse in communi bonorum fuga. quin etiam tibi, & Peducaeo, (scripsit enim ad me) quid faciatis, uidentum est. is enim splendor est uestrum, ut eadem postulentur a uobis, quae ab amplissimis ciuibus. sed de hoc tu uidebis, quippe cum de ipso, ac de me ista considerare uelim. Reliquum est, ut, & quid agatur, quoad poteris, explores, scribasque ad me, & quid ipse coniectura assequare, quod etiam a te magis expecto. nam aetia omnibus nunciandis, a te expecto futura. πύρις δ' ἄπυρε. loquacitati ignosces, quae & me leuat ad te quidem scribentem, & elicit tuas litteras.

AENIGMA Oppiorum ex Velia plane non intellexi: est enim numero Platonis obscurius. iam intellexit tuum aenigma. Oppios enim de Velia Saccones dicit in eo aestu, aut diu, quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiae summa congruebant. L. Caesarem uidi Minurnis ad VIII. Kal. Febr. mane, cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas: ut id ipsum mihi ille uideatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi forte non dedit, & hic sermo aliquo arrepto pro mandatis abusus est. Labienus, uir mea sententia magnus, Theanum uenit ad 17. Kal. Febr. ibi Pompeium, consulesque conuenit. qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cum certum sciam. Pompeius ab Theano Larinum uersus profectus est ad VIII. Kal. eo die mansit Venafri. aliquantum animi uidetur nobis attulisse Labienus, sed ego nondum habeo, quid ad te ex his locis scribam. ista magis expecto, quid illinc asseratur, quo pacto de Labieno seruat, quid agat Domitius in Marfis, Tignij Thermus, P. Asinius Cinguli, quae sit populi urbani uoluntas, quae tua coniectura de rebus futuris. haec uelim crebro, & quid tibi de mulieribus nostris placeat, & quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, longior epistola uisisset: sed dictaui propter lippitudinem. Vale.

EXPLANATIO

ILLI § Caesari: a quo cum discessit, uisus est eum sceleris damnare. **PISONEM** § qui cum ab urbe discesserit, generum suum Caesarem non expectans; quid de eo iudicet, manifestum est. hic est L. Calpurnius Piso, in quem exstat Ciceronis oratio, Gabinij in consulatu collega, nunc censor. fam. ep. 3 l. 13. Caesar lib. 1. de bello ci. **NE Picena quidem** § cum eius culpa Caesar in Piceno opida occupauerit: unde aditus ad urbem apertus. ep. 3. lib. 8. quod si Pompeius, in Piceno quantum esset nobis praesidij, cognouisset; opidis militum robore ante Caesaris aduentum firmatis, nunquam in hanc defendendae urbis necessitatem deuenisset. quasi enim agger fuit Picenum urbi tuendae. placet tamen, quod in Bellationis libro scriptum est, describere. In eo igitur libro sic: Ne Epycenea quidem. **QUAM sine consilio res steterit** § placet, ut est in antiquo libro apud amicissimum meum, Quae autem sine consilio res steterit? **DECEM annorum** § tot enim anni a consulatu Caesaris ad hoc tempus numerantur. &, Caesare consule,

consule. Pompeius se cum eo affinitate coniunxit, Julia uxore ducta. inde eum per decem annos aluit, auxit, armauit. DVABVS inuidiose retentis, & cur, Inuidiose quia Pompeius simulatione Parthici belli a Caesare abductas retinuerat, quod factum magna in infamia fuit. Ita Caesar libro 1. de bello ci. Pompeius, inquit, infamia duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiae, Syriaeque ad suam potentiam, dominatumque conuerterat, rem ad arma deduci studebat. Inuidiose, igitur dixit, cum odio, & infamia. ALIENIS & quod aduersus imperatorem suum inuitae ducerentur. Hirtius lib. 8. INVITORVM & ut beneficij memoriam conseruantium, quod agrum Campanum colerent lege Julia datum. epist. 14. DOLABELLAE, & generi mei, qui apud Caesarem est: per quem uidetur mulieres tuto in urbe esse posse. fam. epist. 6. lib. 9. & 12. lib. 14. Ac de me & cui non tam salutis, quam dignitatis, habenda ratio est. DE ipso & de te ipso. cur enim ego tibi haec in te consilium dem. quem & de te ipso, & de me etiam considerare uolo? Mdvris d'apisoq; & uates optimus is est, bene qui conijcit. Senarius apud Euripidem, integer,

Mdvris d'apisoq; d'sis a'x'x'ei xal'as:

quem Cicero ita uertit libro de Diuin. 11. Bene qui conijciet, uatem hunc perhibeto optimum. AENIGMA Oppiorum & uidetur epistolae principium. NUMERO Platonis & Plato enim Pythagoricis numeris philosophiam obscurauit. Probo, Timaeo Platonis, ut in antiquo libro eruditissimi uiri, Antonij Augustini, scriptum est, nam eo libro nihil obscurius, de quo haec lib. 2. de Fin. Rerum obscuritas, non uerborum, facit, ut non intelligatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis. SACONES dicit in eo aestu, aut diu. sic Caualcantis liber: Belsarionis, Saccone. Mihi & hoc uidetur Timaeo Platonis obscurius, quod si coniecturae credendum est, ita legerem, mutatione parua: Oppios de Velia Salacones dicit. in eo aestuauit diu. Aestuare autem dicitur qui dubitatione angitur, & inopia consilij. L. CAESAREM & filium. Suetonius, qui Caesaris clementiam commendat, Nulli, inquit, aperijisse, nisi, in proelio, reperiuntur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fausto, & L. Caesare iuene, ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putant. MANDATIS & Caesaris: quae explicantur lib. 1. bello ci. & fam. ep. 10. lib. 16. FERAT & Caesar. IGVIU Thermus, & ita lego, non Tignij, aut Sisingui. Sequor autem non modo librum scriptum, qui apud me est, sed etiam historiam ipsam, ac ueterem quoque lapidem, qui est Fulginei, in quo Iuguij oppidi mentio fit his uerbis.

P. AELIO. P. F. PAPIR

MARCELLO. CENT.

FRVM. SVB. PRINCIPI. PE

PEREGRINORVM. ADSTATO

ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILLO

LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC-

TO. AD. MVNERA. PRAEFF.

LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE

ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI

LVCVLARI. LAVREN. LAVINA-

PATRONO. ET. DECVRIONI

COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO

CIVITAT. FOROFLA. FVLGINIA

ITLMQVE. IGVINORVM. SPLEN-

DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM

CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS

ET. LIBERIS. EORVM. PANEM

ET. VINVM. S-S. XX. N. ITEM

MVNICIPIBVS. S-S. IIII. N. DEDIT

Est autem Iguuium, quod Vgubium hodie uocamus, opidum Vmbriae, itaque in Caesaris comm. lib. 1. de bel. ci. legendum, Iguuij, non Tignij, Steuchus Eugubinus, egregiae uir doctrinae, ante nos mouit, nam Tignium est in Piceno. Curio autem in Vmbria pro Caesare militabat, unde Thermum eiecit. Plinius quoque l. 3. c. 14. Inguinos nominat in Vmbriae descriptione.

Cicero S. D. Attico. I. 14.

AD VI. kal. Febr. Capuam Calibus proficiscens, cum leuiter lippiret, has litteras dedi. L. Caesar mandata Caesaris detulit ad Pompeium VIII. kal. cum is esset cum consulibus Theani. probata condicio est, sed ita, ut ille de his opidibus, quae extra suam provinciam occupauisset, praesidia deduceret, id si fecisset, responsum est, ad urbem nos redituros esse, & rem persequatam consecuturos. Spero etiam in praesentia pacem nos habere. nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppaenitet. Me Pompeius Capuam uenire uoluit, & adiuuare delectum. in quo parum prolixo respondet Campani coloni. gladiatores Caesaris, qui Capuae sunt, de quibus ante ad te falsum ex Torquati litteris scripseram, sane commode Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum. secutorum in ludo 100 fuerunt, eruptione facturi fuisset dicantur.

bantur. sane multum in eo reip. prouisum est. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quaeso uideas, ut satis honestum nobis sit, eas Romae esse, cum ceterae ulla dignitate discesserint. hoc scripsi ad eas, & ad te ipsum antea. uelim, eas cohortere, ut exeant; praefertim cum ea praesidia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in his pro renata non incommode possint esse. nam, si quid offendimus in genero nostro, quod quidem ego praestare non debeo; id sit maius, quod mulieres nostrae praeter ceteras Romae remanserunt. tu ipse cum Sexto, scire uelim, quid cogites de exeundo, de totaque re quid existimes, equidem ad pacem hortari non desino: quae uel iniusta utilior est, quam iniustum bellum. ad haec, ut fors tulerit. Vale.

EXPLANATIO

SUPPRAENITET & infirmas enim habet copias, firmas tamen se habiturum sperabat, ep. 16. **PARVUM** proluxe & inuiti, nec mirum est, lege Iulia in agrum Campanum deductos, propensiores in Caesare esse, sic alibi, Proluxe facere, Proluxe polliceri. **RESPONDENT**, & cum nominantur, dum habetur delectus, singuli enim citabantur. **SECUTORVM** & genus gladiatorum fuit, de quo Suetonius in Caligula: Retiarj quinque totidem secutoribus succubuerant, & Iuuenalis saty. 8. Quoniam igitur gladiatores generaliter nominauerat, quibus de gladiatoribus loqueretur, expressit, erant autem Secutores, & Myrmillones ijdem: quibus opponebantur Retiarj, Festus, & Quintilianus. 100 fuerunt & Bessarionis liber, Bis fuerunt, corrupte: natus enim error ex ignorantia antiquae notae: quam significare quinque millia, supra ex analogiae ratione ostendimus. **VLLA DIGNITATE** & quae modo ulla dignitate sint, epistolarum libro ad uxorem, Videte, inquit, quid aliae faciant isto loco feminae, quod eodem libro dixit, Vestri similes feminae. **PRAESIDIA** & Praedia, legendum esse constat, non solum quia sic legendum perspicue significant epistolae duae ad uxorem lib. 14, fam. sed etiam, quia uicissitudinem quandam harum dictionum in libris obseruauit, ut alterius altera locum occupet, quemadmodum in libro de Senectute, De praesidio, & statione uitae decedere: quod erat in quibusdam libris, De praedio, & statione. praeterea illud infra, Non incommode, aptius ad praedia, quam ad praedia, refertur. nam de praesidijs potius, Tuto, dixisset. **PRO RE NATA** & pro ratione temporum: minus omnino commode, quam Romae, sed rursus non admodum incommode, genus loquendi, ad imminuendam rem, quae significatur, usurpatum, uide epist. 8, lib. 7, & 6, lib. 14. **GENERO NOSTRO** & Dolabella, qui pro Caesare contra reip. partes arma fert. **SEX. PEDUCAEO** & epist. 12.

Cicero S. D. Attico. 15.

VT AB urbe discessi, nullum adhuc intermisi die, quin aliquid ad te litterarum darem; non quo haberem magnopere, quid scriberem; sed ut loquerer tecum absens: quo mihi, cum coram id non liceret, nihil est iucundius. Capnam cum uenissem ad VI. Kal. pridie, quam has litteras dedi, consules conueni, multosque nostri ordinis, omnes cupiebant, Caesarem, abductis praesidijs, stare condicionibus istis, quas tulisset, uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat: sed is auditus in consilio. Cato enim ipse iam seruire, quam pugnare, maualt: sed tamen ait, in senatu se adesse uelle, cum de condicionibus agatur, si Caesar adductus sit, ut praesidia deducat, ita, quod maxime opus est, in Siciliam ire non curat: quod metuo ne obsit, in senatu esse uult. Postumus autem, de quo nominatim senatus decreuit, ut statim in Siciliam iret, Furfanus, succederet, negat se iturum sine Catone, & suam in senatu ope-

ram, auctoritatemque magni aestimat. ita res ad Fannium peruenit. is cum imperio in Siciliam praemittitur. In disputationibus nostris summa uarietas est. plerique negant, Caesarem in condicione mansurum; postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur. ego autem eum puro facturum, ut praesidia deducat, uicerit enim, si consul factus erit, & minori scelere uicerit, quam quo est ingressus. sed accipienda plaga est. sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia: quam quidem omnem non modo priuatam, quae in urbe est, sed etiam publicam, quae in aerario, illi relinquimus. Pompeius ad legiones Arianas est profectus; Labienum secum habet. ego tuas opiniones de his rebus expecto. Formias me continuo recipere cogitabam. Vale.

EXPLANATIO

LICERET & cum inferat, Nihil est iucundius; temporis ratio postulat, Licet, non, Liceret. **ABDVCTIS** praesidijs sex opidis, quae occupauerat. **QVAS TULISSET** his uidelicet, ut Pompeius eat in Hispania: delectus qui sunt haberi, & praesidia nostra dimittantur, se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano traditurum: ad consulatus petitionem uenturum: absens rationem haberi nolle, praesentem petiturum, fam. ep. 10, lib. 16. **AVDITVS** & in consilio, hic negantem particulam haberi nolle, praesentem insequens membrum. **IN SICILIAM** & illi assignatam, cum Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque ueretur, fam. ep. 10, lib. 16. **FURFANO** & ep. 8, lib. 6, fam. **POSTVLATAQ.** haec & ita pendet hoc a uerbo, Negant, ut affirmetur potius, quam negetur. uerbum enim, Nego, saepe negat in primo membro, affirmat

affirmat in secundo: ut in oratione pro Roscio Comoedo, Aduersaria in iudicium protulit nemo, codicem protulit pro, codicem aliquis protulit. Idem agnoscitur apud Horatium, in ijs uersibus, Qui sit, Maecenas, ut nemo nam cum subiunxit, Laudet diuersa sequentes, satis constat non referri ad, Nemo, sed necesse esse, ut, aliquis, subaudiatur: huius generis exempla nō desideramus, uide ep. 30. lib. 12. fam. VICERIT ꝛ affectus erit, quod uult, Quo est ingressus ꝛ arma enim nunc quidem infert reip. quo scelere scelus esse maius nullum potest. ACCIPIENDA plaga ꝛ nobis: qui de nostro iure decedimus, cum a Caesare latas condiciones accipimus. AERATIO ꝛ ex quo Caesar postea pecuniam sumpsit. ep. 4. & 7. lib. 10. Aerarium autem fuisse in Saturni templo, satis ex Festo, Plutarchoq. in Probl. constat: sed, aeraria tria cur nominentur, non omnes fortasse norunt; itaque totam hanc rationem paullo diligentius conabimur explicare. Aerarium primum illud fuit, quo effracto, cum per annos multos, ut Appianus, & Lucanus perhibent, clausum fuisset, C. Caesar pecuniam uniuersam belli ciuilibus initio sumpsit, atque in hoc, tradit Appianus, conditum fuisse aurum, quod in usum Gallici belli erogandum asseruaretur, quod uidetur esse iam inde ab eo tempore institutum, cum urbem Romam Galli captam incendunt, tunc enim ut aurum illud reponeretur, belli Gallici metu decretum est. atque ego, quidquid postea ex uictorijs, ut ab Africanis duobus ex secundo, & tertio Punico bello, a prioris fratre ex Asia, a Mummio ex Achaia, & Paulo ex Macedonia, Lucullo, & Pompeio ex Tigrae & Mithridate partum est, (ut alios paene innumerabiles omitam) eodem postea congestum existimo; primum, quia exiguam plane auri uim fuisse, quae praefcis illis temporibus, paullo post urbem a Gallis liberatam, in magna omnium rerum inopia, nondum ualde prolatis imperij terminis, deposita est, uerisimile uidetur; cuius tantulae pecuniae causa numquam certe fores aerarij sibi effringendas Caesar putasset; a quo ablata laterum aureorū xxi. M. & in numerato pondo ccc. Plinius l. 23. c. 3. affirmat: deinde, quod, aerarium illud, quo per uim ingressus est Caesar, id fuisse, quo aurum, atque argentum ex praeda Punica, & Macedonia congestum est, Lucanus, lib. 3. docet his uersibus.

Tum conditus imo

Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perles, quem uicti praeda Philippi.

De hoc fortasse aerario fenfit Valerius lib. 3. c. 7. Alterum fuit aerarium ex auro uicesimario: quod in sanctiore aerario seruatum ad ultimos casus, Liuius lib. 27. prodidit, collectum autem ex eorum, qui mapumiterentur, uicesima, idem Liuius lib. 7. narrat. Tertium ex annua uectigalium pecunia constabat: ex quo, quidquid belli necessitas, aut quotidianus reip. usus requireret, decernente senatu, ut ait Polybius, uel etiam, quod postremis temporibus P. Clodius tribunus pl. contra leges instituit, populo iubente sumebatur. atque hoc tertium aerarium assiduis tum ordinarijs, tum extraordinarijs impensis exhaustum, & ad summas angustias reductum, in agraria l. 1. & in oratione de prouincijs consularibus, & in extrema pro Balbo, etiam in C. Verrem Cicero, Pedianus in commentario Cornelianae, Marcellinus que l. 16. significant. Priora duo perquam raro aperiri, ideoque sanctiora uocari solita, Cicero, Caesar, & Liuius demonstrant, nam de praedae bellicae aerario, in quo ipse fuisse aurum, Gallici belli metu depositum, ep. 12. & 20. significatur. Caesar autem ipse l. 1. de bello ciuili sic: Lentulus consul, aperto sanctiore aerario, ex urbe profugit. Florus quoq. l. 4. sanctum aerarium uocat. Idem sanctius aerarium dictū illud esse, quo uicesimarium aurum seruabatur, Liuius l. 27. ostendit. Consulibus, inquit, aurum uicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus seruabatur, promi placuit. Quod autem ait Lucanus, Multis intactus ab annis, ita uerisimile uidetur, si ciuilia bella excipias. certe enim neque C. Mario, neque Cinnae, neque postremo Sulla, qui publicam libertate armis oppresserunt, pecuniam capere ex aerario religio fuit, etiam ipsum Pompeium ante Caesarem, orta inter eos ciuili contentione, aerarij pecunia esse usum, quis dubitet? quamquam accepit multo minus, quam reliquit, quod hic Cicero queritur. Cum igitur aeraria tria memorantur, distinguuntur pecuniae potius, quam loca: cum in uno Saturni templo publicae omnes pecuniae asseruarentur: sed in eo templo tres fuisse cellas, in quibus thesauri publici reponerentur, licet existimate: ut pecuniae publicae tria genera fuerint: (pecuniam uoco, siue aurum, argentumq. percussum esset, siue factum, ut uasa, & similia, siue infectum, ut latera) unum ex auro illo propter belli Gallici timorem deposito, & ex praeda bellica; alterum ex auro uicesimario; tertium ex annuis uectigalibus. RELINQUIMVS ꝛ Lentulus enim consul cum ad aperiendum aerarium uenisset, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendam, audito Caesaris aduentu, protinus, aperto sanctiore aerario, ex urbe profugit. Caesar lib. 1. de bello ci.

Cicero S. D. Attico 16.

OMNES arbitror mihi tuas litteras redditas esse, sed primas praepostere, reliquas ordine, quo sum missae, per Terentiam. De mandatis Caesaris, ad uentum Labieni, & responsis consulum ad Pompeium, scripsi ad te litteris ijs, quas ad v. Kal. Capua dedi: plura praeterea in eadem epistolam conieci. nunc has

exspectationes habemus duas; unam, quid Caesar acturus sit, cum acceperit ea, quae referenda ad illum data sunt L. Caesari; alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitum habiturum; spemq. assert, si in Picenum agrum ipse uenerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum

Z 2 habet,

habet, non dubitantem de imbecillitate Caesaris copia
rum: cuius aduentu Cnaeus noster multo animi plus ha
bet. nos a consulibus Capuam venire iussi sumus ad
non. Febr. Capua profectus sum Formias ad vii. kal. eo
die cum Calibus tuas litteras hora fere nona accepis
sem, has statim dedi. De Terentia, & Tullia tibi assen
tior: ad quas scripseram, ad te ut referrent. si non dum
profectae sunt, nihil est, quod se moueant, quoad perspi
ciamus, quo loco sit res. Tuae litterae mihi gratiae, iu
cundaeque sunt. De pueris in Graeciam transportandis
tum cogitabam, cum fuga ex Italia quaeri uidebatur.
nos enim Hispaniam peteremus: illis hoc deque commo
dum non erat, tu ipse cum Sextio etiam nunc mihi uide
ris Romae recte esse posse. etenim minime amici
Pompeio nostro esse debetis, nemo enim umquam tan
tum de urbanis praesidijs detraxit. Vides ne me
etiam iocari? scire iam te oportet, L. Caesar quae respon
sa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem fe
rat litteras, scriptae enim, & datae ita sunt, ut propo
nerentur in publico, in quo accusari mecum ipse Pom
peium, qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res, at
que eas, quae in omnium manus uenturae essent, Sextio
nostro scribendas dederit. itaque nihil umquam le
gi scriptum *ενος δ' εσπερος*. perspicere tamen ex litteris
Pompeij potest, nihil Caesari negari, omniaque, & cumu
late, quae postulet, dari: quae ille, amenissimus fuerit,
nisi acceperit, praesertim cum impudentissime postula
uerit. quis enim tu es, qui dicas, si in Hispaniam profe
ctus erit, si praesidia dimiserit? tamen conceditur, mi
nus honeste nunc quidem, uiolata iam ab illo rep. illa
toque bello, quam si olim de ratione habenda impetrasset:
tamen uereor, ut his ipsis contentus sit. nam cum ista

mandata dedisset L. Caesari, debuit esse paullo quietior,
dum responsa referrentur: dicitur autem nunc esse acer
rimus. Trebulano quidem scribit, se ab illo ix. kal.
Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut esset ad mi
bem: nihil ei me gratius facere posse. haec uerbis plu
rimis intellexi ex dicrum ratione, ut primum de disces
su nostro Caesar audisset, laborare eum coepisse, ne om
nes abessemus: itaque non dubito, quin ad Pisonem,
quin ad Seruium scripserit. illud admiror, non ipsum
ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Coelium
egisse. quamquam non aspersion Trebatij litteras, &
quo me unice diligi scio, rescripsi ad Trebatium, (nam
ad ipsum Caesarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui)
quam illud hoc tempore esset difficile: me tamen in praes
dijs meis esse, neque delectum ullum, neque negotium
suscepisse. in quo quidem manebam, dum spes pacis erit,
sin bellum geretur, non deero officio, nec dignitati meae,
pueros *ενος δ' εσπερος* in Graeciam, totam enim Italiam
flagraturam bello intelligo: tantum mali excitatum
parim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus. sed
haec paucis diebus ex illius ad nostra responsa respon
sis intelligitur, quos sum euasura sint. tum ad te scri
bam plura, si erit bellum: sin autem etiam induciae, ut
ipsum, ut spero, uidebo. Ego i v. non. Febr. quo die has
litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulie
res exspectabam: quibus quidem scripseram, tuis litte
ris admonitus, ut Romae manerent: sed audio maio
rem quendam in urbe timorem esse. Capuae nonis Febr.
esse uolebam, quia consules iusserant, quidquid huc e
rit a Pompeio allatum, statim ad te scribam; tuasque de
istis rebus litteras exspectabo. Vale.

EXPLANATIO

RESPONSIS consulum ad Pompeium & confirmor in mea ueteri sententia, legendum esse, Responsis
consulum, ac Pompeij, quod epistola plane demonstrat, quae ante proximam est superiorem, &
quae post hanc proxima sequitur. **NON dubitantem &c.** Labieni uerba sunt. l. 3. de bello ciu. Noli
existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam, Germaniamque deuicerit, omnibus interfui proe
lijs: neque temere incognitam rem pronuncio, perexigua pars illius exercitus superest. **VENIRE** & ite
rum. ep. 16. & 17. **TIBI assentior** & non esse, quod ab urbe discedant, quoad perspiciamus, quo loco sit
res, epist. 16. **PETEREMVS,** & nos enim tum Hispaniam cogitabamus, ubi Pompeij maximae copiae,
ducibus Afranio, & Petreio legatis. **HOC** & Hispaniam petere. **SEXTIO** & Peducaeo, qui Pompeij cau
sa discedere ex urbe non debetis, ac ne illum quidem amare, qui uobis locupletibus, ac bene nummatis
tam male consuluerit, urbe sine praesidio relicta. **ETIAM nunc** & dum agitur de conditionibus, tum au
tem discedendum uobis erit, cum, spe pacis exclusa, de hostili Caesaris aduentu timebitis. **SI in Hispa
niam &c.** & eat Pompeius in Hispaniam: delectus, qui sunt habitus, & praesidia dimittantur: tum ego,
tradita prouincia, ad consulatus petitionem ipse ueniam, haec fuerunt condiciones a Caesare latae, fam.
ep. xi. lib. 16. **AD Pisonem** & socerum suum. **SERUIVM** & a ciuilibus contentione abhorrentem
fam. epist. 3, lib. 4. **IMPROBIS** & Caesarianis. **INUIDIS** & Pompeianis, qui extraordinarijs Caesaris
honoribus inuiderent, epist. 14. lib. 9.

Cicero S. D. Attico. 17.

Iv. non. Febr. mulieres nostrae Formias uenerunt,
inaque erga se officia, plena tui suauissimi studij, attu
lerunt. eas ego, quoad sciremus utrum turpe pace no
bis, an misere bello esset utendum, in Formiano esse uo
lui, & una Cicerones, ipse cum fratre Capuam ad con
sules (nonis enim adesse iussi sumus) i i i. non. profe
ctus sum, cum has litteras dedi. Responsa Pompeij gra
ta populo, & probata concioni esse dicuntur. ita puta

ram, quae quidem si ille repudiarit, iacebit: si acce
perit. Vtrum igitur, inquit, manis? responderem,
si, quemadmodum parati essemus, scirem. Cassum,
erat hic auditum, expulsum Ancone, eamque ur
bem a nobis teneri. si bellum futurum est, negotium
uile. Caesarem quidem, L. Caesare cum mandatis
de pace misso, tamen aiunt acerrime delectum habe
re, loca occupare, uincire praesidijs. o perditum latro
nem,

nem, nisi nullo otio compensandam hanc reip. turpitudinem. sed stomachari desinamus, tempore pareamus, cum Pompeio in Hispaniam eamus. haec opto in malis; quoniam illius alterum consulatum a rep. ne data quidem occasione repulimus. Sed haec haecenus. De Dionysio, fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui, expectare responsa Caesaris: ut, si ad urbem rediremus, ibi nos expectaret; sin tardius id feret, tum eum arcessemus. omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine, & amico dignum fuerit, cum praesertim rogatus esset: sed haec non nimis exquiri a Graecis. tamen uidebis, si erit, quod nolim, arcesendus, ne molesti simus immo. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab

Egnatio soluat. nec Egnatio uoluntas deest: nec parum locuples est: sed, cum tale tempus sit, ut Q. Titinius (multum enim est nobiscum) uaticum seneger habere; idemq. debitoribus suis denunciare, ut eodem fenore uterentur, atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur; nec hoc tempore aut domi nummos Quintus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut uersuram usquam facere possit miratur, te non habuisse, rationem huius publicae difficultatis. ego autem, etsi illud Ἰδνωίδεος (ita enim putatur) obseruo; unde dixi, praesertim in te, a quo nihil unquam uidi temere fieri; tamen illius querella mouebar. hoc, quid quid est, te scire uolui. Vale.

EXPLANATIO

TURPE pace & Turpi pace, & Misero bello, placet: aut est Turpe pro turpi, sexto casu. RESPONSA Pompeij & ad Caesarem, Romam missa, ut in publico proponerentur. epistola 16. IACERIT & suo malo repudiabit: populum enim alienauit, qui probat responsa Pompeij. Si acceperit & pax non honesta consequetur. ἀρωγὰ πόδου. Parati & a militibus, & pecunia. CASSIVM & Quintum. nam Caius Pompeianus. fam. lib. 15. NEGOTIVM uile & propter urbis portam. IN Hispaniam & si erit, ut consistere in Italia non possumus. QUONIAM illius & quando huc deducta res est nostra culpa; qui Caesaris alterum consulatum, quem, ne si occasio quidem esset, repellere a rep. debuimus, (cur enim, quod populus concesserat, ut absens consulatum peteret, eriperetur?) repulimus etiam sine occasione, cum & illi exercitus esset maximi, & nobis copiae nullae. tantum igitur abest, ut id iure, ut etiam alieno tempore fecerimus. epistola 13. ROGATVS esset & imperfectus sermo: deest enim, intelligo, scio, aut simile quid. uitiu[m] esset in oratione, sed corrigi fere semper animaduertimus in sequenti particula, Sed, quae narrationem quodam modo excipit cadentem. epistola 21. & fam. epist. 3, lib. 4. A GRAECIS & officium non colentibus. AB Egnatio soluat. & sumptam ab Egnatio debitore suo pecuniam tibi numeret. Ut eodem fenore uterentur & concessit eis, ut idem, quod antea, fenus soluerent, cum uideret exactionem uniuersae pecuniae hoc tempore difficultissimam esse.

Cicero S. D. Attico. 18.

Nihil habeo, quod ad te scribam. quoniam etiam eam epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. erat enim plena spei bonae; quod & concionis uoluntatem audieram, & illum condicionibus usurum putabam, praesertim suis. ecce tibi IV. non. Febr. mane accepi litteras tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Caesaris legationem. plane oppressi uidemur: nec, quid consilij capiam, scio; nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebam haec scribens, quo facilius de Pompeij rebus cognoscerem. Vale.

EXPLANATIO

CONCIONIS & probantis responsa Pompeij ad Caesarem. SVIS & ab ipso latis, epistola 15. IV. non. & II. nonas, cum alijs lego, ex epistola proxima superiore. FURNII, Curionis ad Furnium & Curio, qui erat apud Caesarem, Romam scripsit ad Furnium, irridens L. Caesaris legationem. eas litteras Furnius cum suis litteris ad Ciceronem misit, ut ex Curionis litteris uideret spem pacis esse nullam. IRRIDENT & e sententia, & ex Bellarionis libro, Irridet, legimus. CAESARIS & qui tempus teret mandatis de pace hinc inde ferendis referendis, libro primo de bello ci.

Cicero S. D. Attico. 19.

REVILIOQUENTEM iam me tempus ipsum facit. pacem enim desperaui: bellam nostri nullam administrant. caue enim pures, quidquam esse minoris his consulibus: quorum ego spe audiendi aliquid, & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbrui Capuam ueni prid. non. ut eram iussus. illi autem non

non dum uenerant, sed erant uenturi, inanes, imparati. Cnaeus autem Luceriae dicebatur esse, & adire cohortes legionum Atianarum non firmissimarum. at illum ruere nunciant, & iam iamq. adesse, non ut manum conferat, (quicum enim?) sed ut fugam intercludat. ego autem in Italia *καταβολαίην*: nec te id consulo. sin extra, quid ago? ad manendum hiems, lictores, improuidi, & negligentes duces, ad fugam hortatur amicitia Cnaei. causa honorum, turpi-

tudo coniungendi cum tyranno: qui quidem, incertum est, Phalarim ne, an Pisistratum sit imitaturus. Haec uelim explices, & me in ues consilio: etsi te ipsum istuc iam calere puto: sed tamen quantum poteris. ego si quid hic hodie noui cognoro, scies. iam enim aderunt consules ad suas nonas. Tuas quotidie litteras expectabo. ad has autem, cum poteris, rescribes. Mulieres, & Cicerones in Formiano reliqui. Vale.

EXPLANATIO

IN ITALIA § si cum Pompeio mors in Italia sit oppetenda, non recuso. nec tuum consilium exquiro, si maneat Pompeius in Italia, quid mihi agendum sit: deliberatum est enim, & fixum. **LICTORES** § impedimentum, & molestia fugienti. **DUCES** § Pompeium maxime designat: quo duce uictoriam non sperat. epistola 12. **PHALARIM** § tyrannum, caede gaudentem, **PISISTRATVM**, § mitiorem, & studiosum maxime litterarum. **IAM calere** § iam habere, quod de te ipso cogites, sollicitum de statu rerum tuarum, quia uideas urbem, a Cnaeo nostro sine praesidio relictam Caesari patere. Calere dicuntur, quos molestissimis rebus perturbatos inexplicabilis agitat cogitatio, animus enim aeq. curis exercetur, ut labore corpus. & quoniam animi sedes est in cerebro, quo pertinent fere omnes uenae; animo affecto, quasi repercussius commouetur sanguis. & sanguinis motum co sequitur calor. **SVAS nonas** § ante constitutas. ep. 15.

Cicero S. D. Attico. 20.

DE malis nostris tu prius audis, quam nos: istinc enim emanant. boni autem hinc quod expectes, nihil est. Veni Capuam ad non. Febr. ita ut iusserant consules. eo die Lentulus uenit sero. alter consul omnino non uenerat VII. idus. eo enim die ego Capua discessi, & mansi Calibus. inde has litteras postredie aucte lucem dedi. haec, Capuae dum fui, cognoui, nihil in consulibus, nullum usquam delectum. nec enim conquisitores *καταβολαίην* audent, cum ille adsit contra; cum noster dux nusquam sit; nihil agat: nec nomina dant: deficit enim non uoluntas, sed spes. Cnaeus autem noster (o rem miseram, & incredibilem) ut totus iacet. non animus est, non consilium, non copiae, non diligentia. mitto illam fugam ab urbe turpissimam, timidissimas inopidis conciones, ignorantem non solum aduersarij, sed etiam suarum copiarum. hoc cuiusmodi est? VII. idus Febr. Capuam C. Cassius trib. pl. uenit, attulit man-

data ad consules, ut Romam uenirent, pecuniam de sanctiore aerario auferrent, statim exirent urbe relicta. redeant, quo praesidio? deinde exeat, quis sinat? consul ei rescripsit, ut prius ipse in Pisenum. at illud totum erat amissum. sciebat nemo, praeter me ex litteris Dolabellae. mihi dubium non erat, quin ille iam iamq. foret in Apulia, Cnaeus noster in nauis. ego quid agam? *οξεία* magnum, neque mehercule mihi quidem ullum, nisi omnia essent acta turpissime: neque ego ullius consilij particeps, sed tamen, quod me deceat, ipse me Caesar ad pacem hortatur: sed antiquiores litterae, quam ruere coepit. Dolabella, Coelius, me illi ualde satisfacere. mira me *ἀπορία* torquet: iuuat me consilio, si potes: & tamen ista, quantum potes, prouide. nihil habeo, tanta rerum perturbatione, quod scribam, tuas litteras expecto. Vale.

EXPLANATIO

CONQUISITORES § delectui habendo praefecti. **ILLE** § Caesar, metu Caesaris iam praesentis non audet. **NOMINA** § nomina dabant ad bellum ituri. **SPES** § uictoriae. **MANDATA** § Pompeij. **DE sanctiore aerario** § in quo tum pecunia, belli Gallici metu deposita, tum praeda omnis, ex deuctis gentibus collecta, seruabatur. uide quae diximus epist. 15. **CONSVL** § Lentulus. nam Marcellus nondum uenerat. **ILLE** § Caesar. **IN nauis** § Caesarem fugiens. **NEQUE mehercule**, § satis, inquit, scirem, quid mihi esset agendum, si, Pompeio duce, uictoriae spes esset, sequerer inquam cum qualcumque terras peteret. nunc ancipiti cura distrahor. nam neque uideor eum sequi debere, a quo omnia sint acta turpissime; & nisi sequor, & ciuis, & amici officium deserero. **NEQUE ego** § quia dixerat, Turpissime, culpam a se amouet. Ego, inquit, particeps ullius consilij non fui: agam tamen, quod me deceat: amicum sequar bene de me meritum. **SATISFACERE** § quod nullum maius negotium susceperim. fam. epist. 11, lib. 16.

Cicero

Cicero S. D. Attico 21.

PEDEM in Italia uideo nullum esse, qui non in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil; eumque, nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. o celebritatem incredibilem, huius autem nostri: sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior. Tu caedem non sine causa times: non quominus quidquam Caesari expediat ad diuturnitatem uictoriae, & dominationis: sed uideo, quorum arbitrio sit acturus. recte sit. censeo cedendum de opidis his. ego consilij, quod optimum factu uidebitur,

facies. cum Philotimo loquere: atque adeo Terentiam habebis idibus. Ego quid agam? qua aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio? etsi terra quidem qui possum? mari, quo? tradam igitur isti me? fac posse tuto: multi enim hortantur: num etiam honeste? nullo modo quidem. a te petam consilium, ut soleo. explicari res non potest: sed tamen, si quid in mentem uenit, uelim scribas, & ipse quid sis acturus. Vale.

EXPLANATIO

HVIUS autem nostri. § tarditatem, aut ignauiam, dicturus fuit: sed omisit, & causam, cur omiserit, adscribit. ἀποσιτιστικ. ep. 17. CAEDEM § Caesaris uictoris crudelitatem. QVI possum? § cum Caesar omnia occuparit. QVO § cum, ubi sit, nesciam. ISTI § Caesari.

Cicero S. D. Attico. 22.

V Id. Febr. uesperie Philotimo literas accepit; Domitium exercitum firmum habere; cohortes ex Piceno, Lentulo, & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu coniunctas esse; Caesarem intercludi posse, eumque id timere; bonorum animos recreatos Romae, improbos quasi percussos. haec, metuo e quidem, ne sint infomnia: sed tamen M. Lepidum, L. Torquatium, C. Cassium trib. pl. (ij enim sunt nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi litterae ad uitam reuocarunt. ego autem illa metuo ne ueriora sint, nos omnes paene iam captos esse, Pompeium Italia cedere. quem quidem (o rem acerbam) persequi Caesar dicitur. persequi Caesar Pompeium? quid? ut interficiat? o me miserum: & non omnes nostra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiscis. sed quid faciamus? uicti, oppressi, capti plane sumus. Ego tamen, Philotimi litteris lectis, mutavi consilium de

mulieribus: quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam: sed mihi uenit in mentem, multum fore sermonem, me iudicium iam de causa publica fecisse; qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres reuertissent. De me autem ipso tibi assentior, ne me dem incertae, & periculosaefugae: cum reipsum nihil prosim, nihil Pompeio; pro quo emori cum pie possum, tum libenter. manebo igitur: etsi uiuere. Quod quaeris, hic quid agatur: tota Capua, & omnis hic delectus iacet: desperata res est; in fuga omnes sunt; nisi quid eiusmodi fuerit, ut Pompeius istas Domitij copias cum suis coniungat. sed uidebamur omnia biduo, triduo ue scituri. Caesaris litterarum exemplum tibi misi: rogaras enim. cui nos ualde satisfacere, multi ad me scripserunt. quod patior facile; dum, ut adhuc, nihil faciam turpiter. Vale.

EXPLANATIO

LENTULO, & Thermo § P. Lentulo, Q. Minucio Thermo. ETSI uiuere. § subaudi, non uiuere est, cum turpem uitam uiuas: qualis erat manentis in Italia. QVOD patior facile, § quod ita mihi non displicet, dum nihil committam mea persona minus dignum. SATISFACERE § quia neque delectum ululum, negotiumue suscepimus. ep. 16.

Cicero S. D. Attico. 23.

PHILOTIMI litterae me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectauerunt. ecce postridie Cassij litterae Capuam a Lucretio, familiari eius, Nigidium a Domitio Capuam uenisse: eum dicere, Vibullium cum paucis militibus e Pice-

no currere ad Cnaeum, confestim sequi Caesarem, Domitium non habere militum uim. idem scripsit, consulles Capua discessisse. non dubito, quin Cnaeus in fuga sit. modo effugiat, a consilio fugiendi, ut tu censes, absum. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

ME quidem non nimis, ꝛ qui Philotimi litteris fidem non haberem. **CASSII litterae** ꝛ ad Cassium Capua missae a Lucretio. Cassius enim cum Cicerone erat in Formiano. ep. 22.

Cicero S. D. Attico. 24.

CVM dedissem ad te litteras tristes, & metuo ne ueras, de Lucretij ad Cassium litteris Capua missis: Cephalio uenit a nobis, attulit etiam a te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia facilius credere possum, quam quod scribitis, Pompeium exercitum habere. nemo huc ita affert; omniaque, quae nolim. rem miseram. malas causas semper obtinuit, in optima concidit. quid dicam? nisi, illud eum scisse; neque enim erat difficile; hoc nescisse; erat enim ars difficilis, recte temp. regere. Sed iam iamq. omnia scimus, & scribemus ad te statim. Vale.

EXPLANATIO

ILLVD eum scisse; ꝛ scisse eum malas causas obtinere. neque enim, male agere, difficultatis est, si qui legant, eum nescisse. ego & Bessarionis librum, & cum eo congruentem sententiam sequor.

Cicero S. D. Attico. 25.

NON uenit idem usu mihi, quod tu tibi scribis; Quoties exorior. ego enim nunc paullum exorior, & maxime quidem his litteris, quae Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. omnia erant facta hoc biduo laetiora: itaque fuga, quae parabatur, repressa est. Caesaris interdicta, si te secundo lumine hic offendero, respuuntur. bona de Domitio, praecleara de Afranio fama est. Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possum, seruem; gratum est. Quod addis, ne propensior ad turpem causam uidear: certe uideri possum. ego me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negari esse: non quin rectum esset: sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. plane eum, cui Cnaeus noster alterum consulatum deferreret, & triumphum, at quibus uerbis? pro suis gestis amplissimis, inimicum habere nolueram. ego scito, & quem metuam, & quam ob rem. sin erit bellum, ut uideo fore: partes meae non desiderabuntur. De HS x x Terentia tibi rescripsit. Dionysio, dum existimabam uergos nos fore, nolui molestus esse. tibi autem, erobro ad me scribenti de eius officio, nihil rescripsi; quod diem ex die expectabam, ut statuerem, quid esset faciendum. nunc, ut uideo, pueri certe in Formiano uidentur hiematuri: num & ego, nescio. si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. quod habeo certi, faciam, ut scias. ego bellum foedissimum futurum puto; nisi qui, tu scis, Particus casus exstiterit. Vale.

EXPLANATIO

NON uenit &c. ꝛ non mihi accidit, quod tibi. scribis enim te saepe exoriri, id est a metu aduersae fortunae respirare. ego autem nunc paullum exorior: quod ante usu mihi non uenit. **Q**UOTIES EXORIOR ꝛ uerba sunt ex Attici epistola. **P**ICENTIVM cohortibus ꝛ cum Domitio coniunctis epistola 22. **I**NTERDICTA, ꝛ & inuidiose, & false dictum: quasi Caesari iustu putaret sibi, tamquam praetori, arrogandum esse ius in ciues, ac iam proponeret interdicta, animaduersurum se in eos, quos secundo lumine, paullo post, Romae offenderet: cum nunc de fuga nemo cogitet. **S**ECUNDO lumine ꝛ cras. subauditur autem, Moriere. In oratione pro Rabirio Postumo, Regum, inquit, sunt haec imperia: Animaduerte, & dicto pare. &, Praeter rogatum si querare. & illae minae, Si te secundo lumine hic offendero, morieris. **L**ocus Euripidis in Medea, εἰ σὺ πλοῦσα λαμπρὰ ὄψεται τοῦ Θανῆ. **R**E SPVNTVR ꝛ timore sublato. **A**FRANIO ꝛ firmos exercitus habere in Hispania. **I**NTEGRVM seruem ꝛ ut neque Caesari, neque Pompeio me dem. **C**ERTE uideri possem. ꝛ εἰρωνικῶς dictum. subiungit enim: quod me ducem in ciuili bello esse negauerim, quoad de pace agebatur; non ideo feci, quia, quod rectum esset, id mihi non placeret; sed feci, meorum temporum memoria commotus. itaque, quod ad hanc rem attinet, optima ratione defendor. reliqua uero prorsus me ab hac suspitione uindicant. **F**RAVDEM tulit ꝛ memineram, inquit, quod olim eiusdem reip. causa feci, cum Catilinae coniu-

coniurationem oppressi, id mihi summam perniciem attulisse, pro recte factis in exilium pulso. **MVLTO** *rectius* fuit & quanto enim *rectius* facit, qui perniciosam reip. coniurationem exstinguit, quam is, qui civili bello copias ducit. **EV** & **CAESAREM**. **CNAEVS** *noſter* & cum in tertio consulatu pugnavit, ut decem tribuni pl. legem ferrent, qua Caesari absenti consulatum petere liceret. **ALTERVM** & quia consul ante fuerat Caesari, Bibulo collega. **PRO** *suis gestis amplissimis* & malim, Suis rebus gestis, nam, **GESTA**, latinum non est, hoc quidem sensu, scripserat autem epistolam Pompeius ad Caesarem, in qua erat, **PRO** tuis rebus gestis amplissimis. ep. 8. l. 8. **QVEM** *metuam*, & Caesarem noui: cuius animū ne offenderem, ideo me ducem civili bello futurum negavi: is enim solet iniurias acerbissime persequi, ut olim, cum, a me laesus in iudicio quodam, P. Clodium, inimicum meum, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die transduxit. Suetonius. **QVAMOBREM**. & quia uereor, ne, cum ego pro Pompeio Caesaris inimicitias suscepero, ipsis in gratiam redeuntibus ego praesidio nudus Caesari poenas dem. Hic tacite notat in Pompeio ingrati animi uitium: eius fautor dignitatis cum iam inde ab adolescentia, in praetura autem, & in consulatu adiutor etiam extitisset; se tamen ab eo Clodianis temporibus destitutum recordabatur. **PVERI** & Ciceroes, quorum magister Dionysius. **PARTHICVS** *casus* & in nostras prouincias subita Parthorum irruptio: ut Pompeium, aut Caesarem aduersus eos proficisci res cogat. Vnde Coelius in epistola ad Cicronem, Si alteruter eorū, inquit, ad Parthicum bellum non eat, magnas uideo impendere discordias: quas ferrum, & uis iudicabit. Idem arbitrari Atticum, ostendit Cicero, cum ait: Ut tu scis, nulla enim ratione civile bellum, nisi externi belli metu, poterat auerti. externum autem bellum non nisi a Parthis impendere uidebatur. Ceteras enim gentes aut uicerant iam Romani, aut contemnebant. **CASVS** & proprie de Parthis, quorum subitae, & inopinatae irruptiones.



Cicero 2. D. Attico

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or a ghost image of the main text.]





IN EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS
A D
T. POMPONIVM. ATTICVM
LIBRVM. IIX.
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



VM ad te litteras dedissem, redditae mihi litterae sunt a Pompeio. cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de delectu Domitij; quae sunt nobis nota, nec tam laeta erant in his litteris, quam ad me Philotimus scripserat: (ipsam tibi epistolam misissem; sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam) sed in ea Pompeij epistola erat in extremo ipsius manu: Tu, cenfeo, Luceriam uenias: nusquam eris tutius. Id ego in eam partem accepi, haec opida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere, ei statim rescripsi, hominemque certum misi de comitibus meis, non me quaerere, ubi tutissimo essem: si me uellet sua, aut reip. causa Luceriam uenire, statim esse uenturum: hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex provincijs suppeditari uellet. Haec me frustra scribere uidebam: sed uti in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. sic enim parari uideo, ut Luceriam omnes copiae con-

trahantur: & ne is quidem locus stabilis: sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, si uinitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque uictoriae ratio quaesita sit umquam, semper flagitiosae, & calamitosae fugae. eundem; ut, quemcumque fors inlerit, casum subeam potius cum ijs, qui dicuntur esse boni, quam uidear a bonis dissentire. etsi propediem uideo bonorum, id est lautorum, & locupletum, urbem refertam fore, municipijs uero his relictis, refertissimam. quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem: nec M. Lepidi, L. Volcatij, Ser. Sulpicij comitum paeniteret: quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius; nec inconstantior, quam Ap. Claudius. unus Pompeius me mouet, beneficio, non auctoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui, cum omnes Caesarem metuebamus, ipse eum diligebat? postquam uero ipse metueri coepit, putat omnes hostes illi oportere esse. ibimus tamen Luceriam; nec eum fortasse delectabit noster aduentus, dissimulare enim non potero, mihi, quae adhuc acta sunt, displicere. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane uelim. Vale.

EXPLA.